NOSTRI SAECULI ORNAMENTUM ET ADOLESCENTIAE SANCTAE SPECULUM...

Laurent Le Brun



SPECVLVM ADOLESCENTIÆ SANCTÆ ALEXANDER BERTIVS FLORENTINVS PARTHENICVS.

obijt an. 1608. ætatis 15
N: duhuc f.

PROLVSIO AD VITAM ALEXANDRI Bertij.

EFfatum est, quod diu viguit, (defuncti non prosunt) sed aliud est Ecclesiæ documẽtum dicentis, viros sanctos, cùm obeunt, non amitti, sed in cœlum præmitti, vbi è securo beatitudinis portu medijs in periculis & fluctibus iactatos intuentur & recreant. In eodem Oceano, in ijsdem syrtibus scopulisque nauigarũt, nunc verò naufragio erepti coronatâ puppe gestientes feliciter degunt. Quid

igitur nulla miseratione moueantur, qui dum viuerent alienas calamitates tantâ cum propensione leuabant? perierit insignis ille amor in Dei domo, in proprio charitatis regno? In medio carbonum ignitorum? in officinâ virtutum omnium? euanuerit patriæ charitas quæ à Theologis perfecta & cumulata appellatur? dicamus de sanctis omnibus, quod de matre defunctâ D. Augustinus, absit vt sit facta beatitate crudelis. Scilicet tanguntur rebus humanis cœlites, & eiusdem nobiscum Ecclesiæ filij, fratribus suis compatiuntur, sunt illi quidem potiores liberi, qui iusti parentis voluntate hæreditatem lacte & melle manantem adierint, supplicant tamen pro nobis & fratrum suorum curam prouidentiamque gerunt, eò de nostra salute

magis per charitatem sollicitj; quò de sua viuunt securiores quod autem hic maxime pugno, exemplo suo nobis mortui prosunt. Rectè Petrus Chrysologus, nobis vixerunt vete res, viuimus nos futuris, nemo sibi; eorum virtutes inspicere debemus, vt gubernatores intuentur ἀειφανεῖς insignes in polo stellas quæ nunquam occidunt. Gregorius Nazianzenus vitam e Magni Basilij pinxisse gloriatur vt virtutes communem tabulam, vel, vt eruditissimus Philo vocat vitam Imperatorum, leges animatas, quæ suum authorem non tantùm celebrant sed subditos ad æmulationem prouocant. Seneca Lucilium ad virorum illustrium imitationem vocat his verbis, singula vicere tam multi; ignem Mutij, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Ru-

Ser. 101.

Orat. 20. κοινὸν ἀρετῆς πίνακα.

Phil. li. de Abr.

Sene. Epi. 98.

tilius, mortem Cato: & nos vincamus aliquid. Pari ratione dicamus, tot sancti, tot virgines, tot martyres. Sed præsertim Alexander ille noster virtutis cultum ab adolescentibus requirit. Nostis quàm acres sæpè aculeos habuerint apud cæcas superstitione gentes alienæ virtutis monumenta. Neque commemorare hoc loco attinet, Statuam Magni Alexandri quâ conspectâ Gadibus Iulius Cæsar ingemuit, nihil à se memorabile gestum in ea ætate, qua ille totum penè terrarum orbem subegerat: Nec Q. Maximi, P. Scipionis aliorumque præterea ciuium Romanorum voces, qui alienorum operum intuitu se ad virtutem fatebantur vehementissimè accendi. consignata literis à Magno Athanasio, Antonij Magni vita, quid

Salu. in præmio Iug.

in alijs, quid in Maximo postea Doctore Augustino effecerit, nemo ignotat qui Confess. li. 9 c. 2 His Deum verbis effatur: (exempla seruorum tuorum congesta in sinum cogitationis nostra vrebant & absumebant grauem torporem) Et S. Nazianzenus de D. Basilij lucubrationibus disputans, (Ego quidem inquit, dum Martyrum encomia lego, corpus aspernor, & cum ijs, qui laudibus efferuntur, animo versor atque ad certamen excitor) Quo loco iuuerit pulcherrimum Augusti factum meminisse, qui cum Imperatorum Romanorum statuas triumphali specie in vtraque fori sui porticu dedicasset, professus edicto est, commentum id se vt ad illorum normam & exemplar, ipse dum spiraret, & insequentium ætatum principes vi- Suet. in Aug.

tam suam exigerent. Modò ego per-similí Alexandrum victorem & de adolescentiæ vitijs triumphantem propono ad cuius exemplar iuuentus mores dirigat & componat suos.

Ad vnum moneo ne tædio laboris aut illecebrâ nouitatis, festines at exitum cum iacturâ rerum suum enim narrationi quendam succum & sanguinem aspersimus, sic tamen vt longitudo & similitudo rerum, nauseam paritura, vitetur.

De Alexandro Bertio antea scripsere victor Adamus, Pater de vasconsuelos, P Eusebius Nierẽbergius in vitâ S. P. N Ignatij cap. 32 alijque permulti mentionem de eo fecerũt, tu si quid hîc desideratur, cõsule.

Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnũ cœlorum. *Mat.* 18. 3.

PROLVSIO CONTRA CARNEADIS EFFATVM, DICENTIS SPEM TANTVM IN pueris, non rem esse laudandam.

PVERORVM DEFENSIO PANEGYRICA.

Sua esse pueris præclarè gesta, eosque in Patrandis propè miraculis esse perillustres.

VT primum de puerorum nomine intelligitis, rogo vos, & non puerilia continuò & pro ætatis tenuitate leuia animo cogitentur: perinde ac si quos ætatis cursus prouectior non commendat, ij nullis possint facinoribus decorari. Non est a mole corporis, vt à

trunco crassiori arbores: aut ab annorum numero; vt vinum peruetus, sic virtus metuenda: Sicut enim seges, quę luxuriauit in steriles culmos, quamuis solum oppleuerit, & intuentium oculos viriditate tenuerit, maturuisse tamen dici non potest, si nulla spicam fruge compleuerit; Pari ratione senex, nequaquam dies impleuit, sed amisit, si in virtutis frugem spatia sibi concessa non contulit; At contrà vt arbores, quæ præfloruere & præoccupata tempestiuitate præcoces fructus effudêre, non dies modo ex officio, sed etiam cum fœnore impleuerunt: Sic adolescens qui iuueniles annos quâdam moderatione rexerit, ætatis maturitatem præcurrere dicendus est, dignitatem properare Senectutis. Enimuero grandiora licet facinora viros maximè deceant, in pueris tamen nonnunquam reperta, suam ab eorum ætate augent sæpissimè dignitatem. Atque vt nusquam mirabilior est, quàm nascendo, perdicis pullus, qui exuto nondum oui cortice curiosam pastorum auaritiam currendo eludit; sic ple-

rumque puer quadam animi constantiâ, infirmitatem excludit ætatis, & cum pueritiæ flore fructus colligit senectutis. Cùm verò hæc fere vna sint, quibus humana se virtus soleat commendare, hinc pietas, inde rei literariæ & militaris exercitatio, his in omnibus contendo gloriosa facinora, illustria, diuina à pueris non dico supra ætatem sed supra humanam sortem esse perpetrata. Ad quod ego aggrediar hinc quidem timidius, quod Cicero Senectutis laudem pluribus prosequutus, pueritiæ tamen commendandæ difficultatem reformidauit, cum spes, inquit, in pueris, non res laudem mereatur; inde vero eò confidentiùs, quòd cùm ea sit pueritiæ felicitas vt rei bene gestæ laus ei summa, delictorum culpa leuis assignetur; ego quoque puerorum defensionem aggressus, excusationis facilè apud vos & veniæ locum obtinebo. Sed quid inani me timore torqueo? vt industrij Architecti elaboratas statuas in ornatissimæ villæ aditu, aut in munitissimæ arcis vestibulo turres altissimas

collocauit, sicque omnia vel amœnæ dignitatis vel securæ defensionis opera ingredientium oculis subiiciunt; ita arte longe prouidentior natura, quæ nihil voluit non ornatum, & opus suum, mundum ab ornatu nominauit, vitam hominum voluit à rebus eximijs auspicari, & in humanæ vitæ fabricatione, speciosissima queque ornamenta iuuentutis ingressu & primo vitæ limine præposuit. Sed quæ primum dignitatis locum pietas, eadem primam sermonis partem obtinebit.

Virtutum varia facinora ab adolescentibus præstita.

LIcet illa sit naturæ vox, quam eius interpres Aristoteles dedit, iuuenes esse ad voluptatē propēsiores; plures sunt tamen benè cauti Hercules, qui in pueritia virtutem durioris cultus asperitate ægrè ad se incedentem sequantur, voluptatem blandimentorum amœnitatibus difluentem auersati: Neque enim putes ruborem

illum & pudorem, qui adoleſcentum genis blanditur, latentis eſſe in ætate facinoris indicium; ſed potius liberalem illum, qui non tam artificio, quàm officio conſtat, pudorem exiſtima omnis eſſe parentem & alumnum honeſtatis. Neque temerè dixerunt ſapientes naturam magnis mentibus domicilia corporum digna moliri, in illo enim puerorum venuſto fulgore, vbi veneranda pariter & verecunda honeſtas perſtringit ſimul & inuitat aſpectus, in illis genis ad gratiam rubeſcentibus omnia virtutum decora ſeſſitant, eóque glorioſiùs, quod, vt ridet blandiùs in primo dies crepuſculo; ſic quodam modo nitet gratiùs in tenero virtus corpuſculo. Et quemadmodum pulchrius nihil eſt amœniſſimo fluuio, qui per exquiſitas pratorum opes & delicias ſerpendo quaſi inuitus effluit, moramque ſuis voluminibus quærit diuturniorem; ſic inſigni virtute nihil gratius, quæ in decoro adoleſcentum corpore, ſibi ſimilis reperit ſocietatem venuſtatis: aut vt prima voti gratia eſt celeritas

solutionis; sic adolescens in primo vitæ tyrocinio, dum virtutem profitetur, duplicem quasi vouet hostiam & exsolutionis celeritate splendorem geminat honestatis: hîc tam multa occurrunt de pueris, virtutis & pietatis exempla etiam non vocata, vt in ijs non tam copia, quàm modus mihi quærendus esse videatur. Vos verò quod virtutis specimen de pueris expectatis? an castitatis exemplum? at illis nihil castius, & quæ pueris nomen indidit puritas, eorum satis indicat castitatem. Vosne appellabo (castitatis amatores Cretenses pueri) qui vos in Vepres, in lacum rigentem proiecistis vt vel in Vepribus hostem aculeis suffigeretis, aut in lacu rigenti venerem, quæ ex aquis nata est, suo in regno, aquis tandem suffocaretis? An aliquid in pueris senum etiam veneratione dignum postulatis? at, vt senum cigneus ille candor quãdam exigit à pueris venerationem; sic suus ætati teneræ candor alius, propter quem maxima puero reuerentia debeatur. An constantiam & modestiam

exigitis? Puer regius Alexandri Magni resilientibus è turibulo carbonibus manum subijcit, aut certè non subtrahit, ne leuiori digitorum excussione sacrificium præpediat. Quid in hac liberali perpessione mirabilius? an modestia, an constantia? maluit vitium suæ manus in omnem vitam graui suo incommodo ferre, quàm per subtilem brachij inclinationem modestiæ ad breue tempus integritatem remittere: quantum modestiæ miraculum? Ita aduritur, vt flamma præpinguioris hebetiorisque carnis succum depasta vel ipsa medullitùs ossa voraret, ac tandem articulis neruorum contractione aduncis & incuruatis, tota manus in turibuli modum & composita & fumans, in censum altari præberet longe gratissimum; quale constantiæ monimentum? multa hîc cogor exempla vel memoriæ vitio, vel breuitatis studio, præterire, vt nobiles quosdam è Germania pueros proferam, quorum vita rupes veluti immobilis, in medijs prauorum opinionum fluctibus, nec hæreticorum hostium, nec turpiter

viuentium inimicorum aut machinis elidatur aut sordibus obsolesat. Frequentant illi scholas , & ad exercitij prolusionem quid pij operis exercuerit quisque summa concertatione prædicat. Hic sacratissimæ virginis imaginem iam iam ab hæreticis cremandam flammis surripuisse, ille ignibus libros parentis sui hæreticos vouisse gloriatur. Hic , quod carnibus sextâ feriâ vesci noluerit , ille quod concioni hæreticæ interesse renuerit , affirmat vapulasse. Hic nocte concubiâ latentis Presbyteri sacrificio ministrasse asserit , ille eodem tempore sacerdotem è vinculis emisisse. Verum cum aliquando ad Gymnasium de more properarent, audito nuntio quod in viciniâ pro fide paterentur Christiani, omnes quidem , sed tres potissimùm abiectis librorum sarcinis, illuc citato cursu contenderunt , sed proh dolor ! tortores viris quasi meliori prædæ intenti, pueris necandis non vacabant : dimicant illi inter se plusquam virili æmulatione, quis priùs passurus sit quis violentiùs? Hic ex liquorum congerie pyram ipse

ipse sua manu struit, statque suum in ignem & animo & corpore inclinatus, vt cursitantis tortoris aliquo impulsu deiectus, comites patiendo præcurrat. Ille tortori à gladijs imparato cultrũ porrigit pennarium, sua vt cute nudetur & plagarum tenuitate supplicij diuturnitas extendatur. Quid interea? rident illi inter tot pœnarum acerbitates, & carnibus frustatim concisis, solutisque membrorum commissuris vitam diutiùs productam non cupiunt, nisi vt diutiùs patiantur: maiorem corporis molem non desiderant, nisi vt frequentiores largioresque plagas accipiant. Tertius cum pectus & brachia excipiendis vulneribus nudasset, lethali plagâ, quasi ingenti beneficio in pectore donatur. Sed quis pueri sensus? num infantiles audientur gemitus, quibus se pueri tutari solent? intingit in vulneris sãguine digitos & in nudatis bachijs hinc augustissimum Christi nomen, inde sacratissimæ virginis placidissimè inscribit. Vbi tua virtus tortor, si te digito prosternit puerulus? ne extremis quidem contre-

miscit articulis, qui toto horrere deberet corpusculo. Magna hæc quidem, sed maioribus delentur: enimuero accensus furore tortor scribentis digiti extremitatem rescindit, tum puer, non calamum tollis, inquit, sed atramentum commodiùs præstas, ipse enim, qui calamus est, digitus suum iam desudat atramentum, sicque suos iterum perficit characteres. Audistis aliquando de sancto Iobo patientiæ simulachro, quid non hîc aut consimile aut maius? ille erumpentes vermium greges in eosdem pastus & foramina effossæ carnis reducit, hic non sanguinem quidem reuocauit in fontes, sed abeuntem cum sanguine animam gratulatione prosequutus, felici charta, feliciori calamo, felicissimo atramento suum quasi condit testamentum, & nomen libro vitæ inscribit. O beati pusiones, quibus mortem non necessitas affert, non ætas, sed Deo astricta voluntas, quos è materno sinu prius fœderatos Christo, quàm fœdatos angelorum cœtus excepit.

Mirabilis adolescentum scientia.

DIuinus Plato cæterique Academici, qui non tam in vmbra, quàm in Luce deambularunt, puerum sex solùm annos natum ad scientiam aptissimum censuerunt: disciplina enim & doctrina grauissimis licet asperitatibus, sic tanquam rosa spinis, aut frequentissimis vrtica dentibus acuminata, nullos tamen ad se venientes seuerè minùs, quàm pueros habet: quin etiam suis in alumnis pueritiã vel inuenit vel facit, cum quoslibet grandiores discipulos innocentiam cogat induere moresque puerorum, ex quo scientiæ aliquando παιδίαι fuerunt nuncupatæ, scilicet in puerorum mente placidissimè disciplina diuersatur, ibi vacuam sine aduersario sedem inuadit; nihil quod obstet, quod reluctetur, inuenit. Sed contrà vires reperit integras, nec occupatione oppressas, nec fatigatione detritas, nec auocatione dispersas. Atque vt terra virgo & vomere intacta, aut quæ pascuis ferendis-

que herbis relicta · sationis vsum longá intercapedine reliquit, primo subactionis partu messem reddit centesimo cum fœnore amplissimam; sic virgineus puerorum animus nullo partus labore fatigatus, purissimas & integerrimas vires primo conamine exerit,& tempore maiores vix obtinet gignendi maturitates. Sed si puerorum ingenium quasi solum est ad fructus ferendos fœcundissimum; eorumdem memoria horreum est ad custodiam rerum tutissimum. Quod sane naturæ leges ita transceudit, vt pueros non tam audita primo accipere, cum discunt, quàm accepta aliàs iam meminisse Socrates existimauerit: vnde in puerorum mente illa facilitas, vt tam multis tamque multiplicibus consequatur figuris? vnde tenacitas, vt immobiles hæreant? vnde discretio, vt minimè perturbentur? vnde obsequiū, vt ad nutum quemuis celerrimè præsto sint? vnde eloquentia, vt nullo negotio voce efferantur? quis non mirabitur, vt pueri blanda voce auditorum aures penetrent, gestu venusto oculos

demulceant, lepore animum inuadāt, omni denique aditu auditorem ita oppugnent, vt eloquentia rhetores quoſuis ſuperare videantur: Et animaduerſum eſt à ſapientibus tenera quæque & recentia habere blanditiam quandam, cuius ope, quam non habent virtutem, ſibi conſilient. Magna illa ſunt pueritiæ ſupra cæteras ætates miracula, maiora ſunt puerorum ſupra ſuam ætatem prodigia: moras hîc non traham longiores in eorum texendo indice, qui in perdiſcenda ſcientia cunctationem ipſi omnem ætatemque ſuperarunt. Quid Gordianum, quid Antonium eloquar, qui pueritiam omni doctrinæ ornamento, ſenectutem imperatoriâ dignitate ornarunt. Quid iuniorem Quintilianum, vt ſine exemplo parentem, ſic ſine ſocio filium, quem ſuo die intempeſtiuè defunctum tota deflebit poſteritas? Quid Autinicum puerum, qui voluntario in carcere, vt diſceret, ſex annos perſeuerare longum ſibi non duxit, diutiùs permanſurus niſi terreſtris ipſa corpuſculi ſponte ſoluta domus animo

exitum doctissimo præbuisset? pueros subijcio supra omnem ingenij aleā ad miraculum vsque doctissimos. Cogitate Vrsinum Fabium Florētinum, Angelum Politianum, & alios id genus, in quibus natura & ars certatim suas dotes maturarunt. Inter illos extitit artium ferme omnium peritus, pes saltu, manus fidibus, lingua cantu nouit agere: & in vno puero adunatam Academiarum omnium Vniuersitatem iudicares. Mira hæc certè, neque tamen hic sistunt miracula, omnibus ferme linguis cogitata mentis eloquebatur; Italicâ humaniùs, Germanicâ breuiùs, Gallicâ fusiùs, Hispanicâ grandius, tribus vero principibus Latinâ, Græcâ, Hebraicâ, in quarum rimandis apicibus aliorum diu desudat industria, omni sanè miraculo mirabiliùs. Deus immortalis quot linguæ in vna lingua! Sed ne quis hæc reputet vel gesta minutiùs vel narrata splendidiùs, eundem referunt vario orationis genere loquutum, & ita semper doctè, vt in eâ facultate peritissimus qui esset, pro suis accuratis

elaboratisque lucubrationibus non ægrè circunferret; tam perspicuè vt rem oculis potius, quàm auribus subijceret; tam aptè & concinnè, vt quæ præpropera luderet ac funderet, diu meditatus videretur; tam eleganter, vt lectiora verba nec stylus ipse suppeditaret. Nonne miramini tantum ingenium tantillo in corpore? neque hoc satis. Astrologiam callebat, & Geographiam vt nihil in cœlo, nihil in terris ignoraret. Philosophiam & Theologiam, & diuina pariter & humana haberet explorata, vnde ab omnibus pro miraculo & naturæ & artis, addo etiam & ætatis habebatur. Sed quid externa aucupor, cùm domestica suppetant: prodeant qui in scholis sedent adolescentes lectissimi, illi non prius è materno lacte quàm lare auulsi, externis in regionibus scientiam inuestigant & è patrij soli affectione ne quidem primum spiritum delibant: ad laboris assiduitatem accedit ingenii felicitas, quâ fit, vt ea pueris primâ explanatione instillemus, quæ crebrâ

iteratione vix inculcare viris atque intrudere possemus. Inde fit vt in gymnasiis non extinctam sed benevalentem Romam, sed reflorescentes Athenas videamus, inde fit vt studiorum cursum emensi in patriam dum redeunt, non Galli sed Athenarum, sed Romæ legati habeantur.

Singularis adolescentum animi fortitudo.

A Studiorum vmbrâ in arenam Martisque campum descendamus. Dum enim puerorum ærumnas intueor, quas viri non leuant miserando, sed augent cachinnando, teneræ ætatis nomen à pueris remouendum arbitror, mirorque quomodo crescentibus cum ætate viribus vitæ tamen decrescant onera homo enim vitæ telam ab innumeris asperitatibus exorsus, eandem postea voluptatibus potiùs, quam laboribus reliquam prætexit. Sed fortia non pati modo, verum & præstare adolescentes assueuerunt. Ca-

ptis

ptis Hierosolymis pueri ad viginti millia ad vrbis recuperationem properarunt, quorum multi in itinere mortem constanter, reliqui præpedita nauigatione inuitum reditum morte ipsa duriorem sustinuere. Quid generosius? in Germania ad probandam Imperatricis castitatem puerulus prægrandem vilendæ magnitudinis gladiatorem industrie obtruncat, quid felicius? Archippus puer decem annos panis vsum ignorauit, herbisque agrestibus vitam aluit miserrime, aut potius mortem pertulit, quid patientius? Columnam ascendit puer, alter stilita, qui cœlestibus propior, quam hominibus, nouum terræ cœloque spectaculum præstitit, quid constantius? vt fortitudinem nullatenus pueris defuisse fatendum sit: ad extremum cum senibus sint pueri in delicijs & amoribus maximis, miror quomodo se à canitie commendet senectus, iuuentutem propter nouitatem despiciat cum iuuentus senectute prior sit atque adeo antiquior, adde quod vetustate vilescunt pleraque, nouitate arrident.

Sed quorsum, Adolescentes, tot pietatis, tot scientiæ, tot fortitudinis miracula ? quippe vt illa cùm audiatis, eadem & vos audeatis. Et si contendendo prima non tenebitis, saltem paulò post prima consistatis. Sic enim habetote nihil vnquam à vobis vtilius, quàm in hac ætate præstitum iri, vt enim in ædificijs marmora licet & cedri superstruantur, nisi solidè fundamenta consistant, subinde labem parietes, & vitium faciunt; ita quidquid reliquo ætatis tempore parum firmis iuuentæ fundamentis imponitur, multis obiectum est errorum periculis. Quæ cùm ita sint, vos ego hortor atque obtestor, vt adolescentiam, quæ vos exornat, vicissim exornetis, vt cum scientia virtutem, cum vtráque, animi fortitudinem coniungatis: cuius est, amabo, pretij primum germen annorum præbuisse virtuti, præfloruisse & præcoces ad diuina festinanda auspicia fructus progenuisse ? ô vos felices, si iam naufragam non intueamini pueritiam, nec aliquando vestra in senectute ossa iuuentutis ignibus ad

huc fumantia recaluerint. Iam verò scientiæ pulchritudinem, si cognosceretis, profectò finem studij, quem & diei faceretis, noctes somno diesque ludo surriperetis, vt in negotium transcriberetis literarium. Sed profanis interdum oculis rerum vera dignitas se abscondit, vt sinceros amatores probet, eosque tantò gloriosiùs, quantò cum paucioribus, commendet: at vero, bellatores acerrimi laborumque patientissimi, quid in vobis omissum querar quod in acie milites præstent, nisi quod illi rarissimè ad manus, vos ad quotidianas dimicationes descendatis? O Ludi literarij, non iam ludi, sed castra fortissima, in quibus tot pugnatores subsident. Sed marcescunt palmæ in victorum capitibus, nisi sudoribus irrigentur. O laborem nullis non laboribus emendum, vbi virtuti, vbi scientiæ contenditur. Vita vti ferrum est; ferrum si exerceas, conteritur: si secus, rubigine inficitur: absumitur vita mortalis vel otio, vel vsu, par interitus, dispar est modus;

quippe splendescit opere, cessatione sordescit. Quanta porro lætitia est parentibus, præceptoribus, amicis, angelis custodibus, animis sapientiam mollibus inserere, quæ non præfocata exarescat in semine, sed in spicas bene grauidas, æternamque segetem adolescat. Quanti honoris est candidata nobilissimæ pubis examina castissimè excolere, & prima face surgentes in hac ætatula virtutes deosculari.

NOSTRI SECVLI ORNAMENTVM & adolescentiæ sanctæ speculum ALEXANDER BERTIVS.

Alexandri Bertij natalis, genus, baptismus.

Cap. I.

QVÆ tria ortum hominis illustrare solent, patris nobilitas, parentum splendor, infantis indoles; ea Alexandrum ex vtero prodeuntem mutuâ consensione exceperunt vniuersa. Ortus est Florentiâ omnium Italiæ vrbium cultissima, hetruriæ metropoli,

quæ inter maximas primum celebritatis nomen habet. Hanc ego sanctitatis parentem libenter vocitarem, illa enim est, quæ Zenobium peperit à pueritiâ sanctissimum, Iulianam à cunabulis pietati deditam, denique D. Antoninum & D. Aloisium Gonzagam educauit, singulare iuuenibus exemplum.

Prodiit primúmque lucem aspexit Alexander 8. Idus Septem. anno 1593. Idemque ferme tempus ipsi natale fuit & beatissimæ Virgini, vt non mirum videri debeat, si cum Maria natus, cum Maria adoleuerit, cum Maria maturuerit, vel à cunabulis Virgini totus consecratus. Eâ tempestate Romanæ moderabatur Ecclesiæ Clemens octauus & ipse Florentinus perillustri Aldobrandinorum stirpe oriundus: Florentiæ verò rerum potiebatur Ferdinandus Medicæus huius nominis tertius.

Patrem habuit Alexander Nicolaum Bertium, matrem Violantiam Medicæam, quorum nomina gentilem splendorem me tacente, satis lo-

quuntur; verùm nobilitas illa, quæ maiorum titulis imaginibusque constat, haud magnâ in laude ponenda est, si propria virtus desit, quæ propagatum decus sustineat: quot enim hodie reperias, qui maiorum gloriam resque fortiter & cum laude gestas ignauis mollibusque facinoribus turpiter obtendunt. Non ego hanc natalium amplitudinem in Alexandro adamen, quæ solâ auorum virtute fulciatur, sed, quæ cùm esset ex se clarissima, animi tamen virtutibus amplificata proprio nisu supra gentile decus excreuerit, & si summi ben ficij loco ducam sortem eorum, quibus sui patres viam ad probitatem morumque integritatem strauere; vt enim ad maxima quæque vix animum erigunt obscurâ stirpe oriundi, sic eos constat, quibus domestica virtutum exempla proponuntur, non leuibus ad grandes conatus, aculeis animosè stimulari. At noster Alexander viua parentis optimi exempla aspexit nunquam, prius enim,

quàm inciperet viuere, pater desierat: quasi qui talem genuisset filium nihil haberet amplius, quod posset pro dignitate edere, ideoque excederet è viuis. Sed fallor vixit in filio gloriosiùs; & vt diutius immo vt æternum viueret, satis ei erat; quod is sibi filius nasceretur. Verum noster ille posthumus nunquam pupillus fuit, quem scimus à cœlesti omnium patre peculiari prouidentiæ studio singulariter adoptatum. Hanc quippe sibi prolem Deus peculiari studio vindicauit, priúsque suum fecit, quàm in hanc lucem exijsset. Nihil id temporis Violantia de cari coniugis periculo inaudierat, ne dum de funere suspicabatur, nihil de rei familiaris fortunarumque fere omnium iacturâ, quæ mortem mariti exceperat, quòd periculosâ febri grauiter æstuaret, nonumque mensem grauida vicinum partus imminentis diem orpectaret: Neque irrito cessit consilio, postmodum enim puerperij simul & febris doloribus felicissimè sanata, fortiter & constanter aduersæ fortunæ fulmen sustinuit. Nondum

primum vitæ diem exegerat Alexander, cum propter infirmitatem epiacularibus baptiſmi aquis gratiam hauſit, quam nunquam certum eſt lethiferâ noxâ effudiſſe, vt inde ſcias & hodie in Eccleſiâ, quamuis ancipiti vitiorum conflictu iactatâ, eſſe aliquos eximiâ ſanctitate, qui etiam dum viuunt ſtabili apud Deum gratiæ gradu poſiti, firmiter conſiſtant.

In baptiſmo nomen ſortitus eſt auſpicatiſſimum ſuoſque triumphos & victorias loquens, nomen videlicet Alexandri, cognomen Magni olim habiturus, ſi virtutis gloria rerumque geſtarum amplitudine magnitudinem metiamur: tanti vero nominis numeros impleuit omnes, imo ſuperauit, nec terræ particulam exiguam longo tempore, ſed totum orbem pedibus ſubiecit, virtutis regnum victor occupauit, immenſa cœli ſpatia paucis annis deuicit Alexandro maior; poſſem hic vſurpare verba D. Ambroſij de S. Agnete, ne nomen quidem vacuum laudis eſt, denique talem in adoleſcentia gratiam virtutemque ſingulari Dei

Amb. li. de Vir.

beneficio euectus est, qualem in senectute multi optaremus.

Alexander in primâ infantiâ Deo à parente consecratus.

CAP. II.

AB hoc vitæ ingressu, quem cælum sibi vindicat potiùs quàm natura, facilè quis coniecturâ augurabitur, quem Pater nascentem deserit, rei familiaris iactura excipit, & matris infirma valetudo enixa est, fluxum illi vitæ reliquum eiusmodi futurum, qui cœlestis parentis certissimâ prouidentiâ regatur, opibus diuinis ditetur, & sacratissimæ matris Deiparæ sinu perpetuò foueatur. Et verò quemadmodum de filio Ioanne Baptistá vaticinatus fertur Zacharias; ita Alexandri parens vxori aliquando pronanciauit eum, quem genitura esset filium, Florentinæ iuuentuti exemplo & toti populo admirationi futurum; neque vanum fuit augurium quod veritas postmodum comprobauit. Sed vt ad institutum redeamus,

audiit Violantia (neque enim celari diutiùs poterat) familiæ ſuæ clades & damna , non à diuerſis vtique ſuccedentibus nuntijs (quemadmodum Beatus Io) Sed ab vno ſimul didicit omnia, videlicet ſe coniuge, filium patre , vtrumque fortunæ opibus eſſe ſpoliatos, quibus auditis non ingemiſcere, non vultum mutare , aut vllum infirmioris animi ſignum edere , nihiloque plus commoueri, quàm ſi nihil eius intereſſet , ſtare omni fortunâ altior,etſi recẽtis morbi reliquiis & longâ adhuc , quæ nihil remiſerat , ciborum nauſeâ, afflictaretur , ſed potiùs ſe ipſam ſolata grande vectigal exiſtimauit, ſpem flagrantem in Deum, perfectamque fiduciam ; & quidem ſi planctibus indulgere voluiſſet , nemo iuſtas lacrymas aut ſtitiſſet facilè , aut accuſaſſet , quòd videret fortunas ſuas vehementer acciſas , imo quod grauius eſt, cum marito ſepultas fermè & extinctas, ſed contrà, quæ muliebrem animum percellere debuiſſent ſingula, nihil commouerunt vniuerſa;ex eo enim tempore ſecundas nuptias , hoc

est honestam incontinentiam dedignata, nullis iam propemodum curis aut patrimonij aut matrimonij intenta continuis vacare orationibns nulliusque vnquam mortalis sponsi amplexus ambiẽs. Filium suum, quem non tam familiæ suæ, quàm diuini honoris amplificationi & propagationi donatum sibi cognoscebat, in diuinum transcribit Donum, sponderque non vt suum, sed vt Christi filium & Adeodatum, charitate cœlesti habiturum, non verò ex naturæ solito lenocinio & tenerâ consuetudine, quâ cum liberis parentes, cum parentibus liberi carnis amicitiâ vinculoque sociãtur; &, quod ampliùs quiddam est, virtutis percupida magis quàm nepotum. filium religiosæ alicui familiæ, vbi primæuus pietatis feruor nondum elanguisset, propensissimâ voluntate deuouet, nec ab eâ stetit vnquam, quominùs votum absolueret. Ite nunc parentes ingrati, qui Deo prolem suam denegatis. Audite D. Hieronymum (filij magis sunt Christi, cui renascuntur, quam Patris cui nascuntur) discite liberos vestros,

Hie. ad Furi.

spem

ſpem licet familiæ vnicam cordiſque delicias, diuino cultui mancipare: Erubeſcite, qui cum honoris diuini detrimento dulce nepotum nomen amatis: nimirum pereat flos virgineus & virtutis honor emarceſſat, ne ſtirpis auitæ gloria defloreſcat; ſit deſertum ac vacuum incolis cælum, dummodo hæredibus domus abundet, ſi quid ingenuum in pueris aut liberale eniteat, carnis hoc debetur amplexibus & aulæ genio, vt inter epulas garriat; ſi verò portenti aliquid prodeat, ſi quid monſtri enaſcatur, exportetur in clauſtrum: ſi quid deforme extiterit aut bardum, cucullo illud ampliſſimo occultetur. Si quid blæſum aut balbum, Deo illud loquatur in religioſæ familiæ ſilentio. Si quid claudum oriatur, ſatis eſt ſi è paterna domo abeat & ad Monaſterij quietem deferatur. Si filius natu minimus exſtiterit, caſtris ille, vel clauſtris, morti ſcilicet vel naturali, vel ciuili addicitur. Chriſtus ſibi habeat quos nemo hominum ambit, omnes dedignantur: excipiat thalamo, quem omnes terræ filij excludunt.

Non sic Violantia, non sic: neque enim laborauit illo, quo matrum pleræque solent morbo, impotenti erga vnicam prolē affectu; sed delicias suas spemque familiæ totam Deo liberalissimâ propensione consecrauit. Atque vt in ædibus virorum principum cernimus decora, & auro culta mancipia, & agmen seruorum nitentium, quòd ille ornatus ad dominorum gloriam maiestatéque spectet; Ita ratio suadet ad numinis veneratitionem & cultum, non alios admittendos videri, quàm honestissimâ corporis effigie, & dotibus animi eximiis ornatos. Itaque lege Papiâ de Vestalibus cautū erat, nulla vt legetur virgo ad sacrum æternumq; ignem continendū quæ vitio corporis insigni laboraret: & communis omnium ferme sensus est, à medicorum monumentis haustus, pudorem & virtutem rarò sibi turpe domicilium & deforme corpus eligere, vt indignum sit diuino mancipari cultui pueros, irato veluti Deo genitos, & à naturâ potiùs in vitā eiectos, quàm expolitos, qui in vultu reliquisque corporis partibus ludibrii

argumentum circunferunt, & contemptus. O felicem Violantiam (venter tuus sicut aceruus tritici vallatus Liliis) id est prole Lilia virginitatis referente. Tu vt cum D. Hieronimo loquar, amoris scientiam habuisti. *Cant.* 7.

Alexander floreo cœlitus imbre aspersus.

CAP. III.

AVreliano quondam recens nato, cui postea sui regendi habenas populus concessit, imperium summumque dominatum ferunt flores aureos odorisque suauissimi portendisse. Quid de nostro Alexandro sperare est, quem cœlesti florum imbre diuinitùs aspersum cernimus, nisi sui imperium & in omnes perturbationes ac vitia, victorias & dominatum? Nascente quoque Pallade aureum cœlo imbrem decidisse poëtæ fabulantur, sed illud ipsum veriùs Alexando certè virgini, certè Palladio accidit: nec immeritò, nam castam Palladem virginitate; musarum deam lite-

rarum studio ; bellorum præsidem animi fortitudine non fictè superauit, rem paucis accipite. Viuebat eâ tempestate celebris sanctitate mulier, cuius singularis pietas multis in rebus aliàs comprobata, adulationis suspicionem amolitur, illa ab eo, qui imperare potuit, iussa, asseruit vidisse se, quamuis ab Alexandri ædibus remotius habitaret, labentem sæpiùs per plures annos è cœlo Virginem Deiparam, quæ sopitum somno Alexandrum comi vultu aspiciens, multis, quas cœlo asportauerat, floribus conspergeret, Angelosque astantes ad talem plausum his verbis inuitaret. Hîc puritas regnat, hîc sanctitas imperat, hîc caritas triumphat; dum interea somnum Alexander toto pectore suauissimè caperet. Fidem quoque facit & ipsius Alexandri ingenua confessio, qui ætate prouectior mirâ se dormientem suauitate & incredibili totum voluptate tunc perfundi dictitabat, vt non immeritò sacri codicis verba potuisset vsurpare, lectulus meus floridus.

His certè indiciis extant atque emi-

nent Dei consilia, daturque intelligi, quàm gratus fuerit Alexander ei, qui flos est campi & lilium conuallium. Neq;verò quis facilè conijciat, quātus decumbenti numinis se fauor infuderit, & quàm altè diuinus amor secretiora cordis arcana penetrarit. Sed si ab his tam mirabilibus cunis diuinationem ducere liceat, flores illi futuræ pietatis germen, non præfocati exarescent in semine, non in steriles culmos euanescent, sed in æternam frugem, sed in spicas bene grauidas perducti maturiùs adolescent. Et verò quoties Alexandrum cogito in cunis, floribus conspersum, in decursu ætatis repetitis floribus ornatum, in morte floribus à sacratissimà Virgine per Angelos coronatum, videre mihi videor hortum Edenæo vel Constantinopolitano per similem, vbi virtutum omnium flores odoratu iuxta & aspectu suauissimi sese exerant: vt enim illic partitas sectiones aspicimus, ambulationes, puluinos, interualla, terræ genium, artis ingenium, hîc fulgere Nardum, illic flagrare flammulam,

hîc hyacinthum purpurascere, illic candere lilium; & in medio vitreum fontem per areolas postea deriuari; Sic in vitâ Alexandi multas animaduerto amœnitates, partita vitæ tempora, distincta totius diei momenta; hîc Lilium albescere castitatis, hîc flammulam charitatis rubere. omnesque virtutes eius manu, qui se hortulano comparauit, excultas emicare, neque deesse pellucidum gratiæ fontem, qui perpetuo pietatis riuulo amœnissimos flores irroret, & ad æternitatis sertum, coronamque componendam enutriat. Quis tum hominum sensus alius esse potuit, quæ ratiocinatio? certè aut nullam esse præsentionem rerum futurarum, aut tam insolenti miraculo præsignificari vberrimam ex illis floribus meritorum segetem. Si Alexandri Magni fortitudinem, fulmen & ignis in sinum matris delapsus indicauit: certè Alexandri nostri virtutes futuramque gloriam flores illi significant; Angeli enim, cœlestes illi Hortulani, non dicam cum spe, sed certâ cum fiducia, sua semina

terræ mandauit, ideoque hæc de Alexando vsurpauerit.

Aggredere infernos hostes, dedit hæc pia flores
Turba tibi, palmas impia turba dabit.

Alexandri educatio.
CAP. IIII.

ALexander ille Macedo in moribus & incessiu suo, vitijs Leonidis præceptoris sui carere non potuit, quibus à puero fuerat infectus: contrà noster Alexander matris sapientissimæ totiusque familiæ sanctissimos mores non potuit non animo imbibere, virtutumque succum vnà cum lacte degustare: &, vt verè dicam, magnum est, atque haud scio an maximum, pueris à Deo beneficium acceptum, cùm ijs procreantur parentibus, quorum non minùs exemplo, quàm imperio postea dirigantur, muta enim sunt monita sine monentis exemplo, & qui prauè agit, licet idem prudéter consulat, virtuti nõ tam proficit, quàm aduersatur: & certè, qui liberalé filiorũ institutio-

nem negligétiùs habēt minuſq; ſolli-citè curāt, ij non parētes, aut cuſtodes; ſed hoſtes proditoreſq; iudicandi ſunt, qui, quorũ corpora ad vitæ huius fragilis mortalitatē generant, eorum animis ſempiternæ necis acerbitatem accerſant. Proh dolor! quàm latè ſerpit illa peſtis; quot ſunt parentes, qui liberos vitia ſua edocere malunt, quàm in ſui ſaltem parte vitam emendare? quot, qui ſolis fortunæ bonis inhiant, cùm ea parare liberis deberent, quæ cum ipſis enatare poſſent, ſi eos tempeſtas exciperet, vt aiebat Athenienſis ille. Mirari ſatis non poſſum incredibilem hac in parte, Violantiæ ſedulitatem, quæ natum bis genuit, orbi primùm, deinde cœlo; ſecundo quàm primo partu longè felicior, docuitque parentes, quàm parum ſit filium mundo peperiſſe, niſi in ſpem cœli educetur. O quoties diuinam in filio maieſtatem adorauit, quemadmodum & ipſe Magni Origenis parens factitauit, qui dormitanti filio denudaſſe pectus fertur, fixiſque in terram poplitibus, inhabitans illic velut in templo numen

adoraſſe, & quidem vbi prole tantæ ſpei auctam ſe vidit, tum verò ingentis beneficij memor, amiſſi coniugis deſiderium fortunarumque diſpendia ſolari, degere religioſiùs, pietatem colere ſtudioſiùs, dicta factaque circumſpicere attentiùs, ita denique totam domum inſtituere, & adeuntium mores inueſtigare, vt infantis auribus oculiſque obuerſarentur integerrimæ virtutis exempla, quæ ad auditum ſine periculo poſſet admittere, & ad ſermonem cum honeſtate vſurpare. Et quanquam per omnes vitæ ætatiſque gradus eam tenuit viuendi rationem Violantia, vt apud mortales admirationem, apud viros pios imitationem, apud cœlites gratulationem habuerit, tum verò eius virtutes domeſtico velut in theatro propoſitæ multò admirabiliores fuere, cùm filium vidit ſibi eſſe ad virtutem excitandum, totamque familiam ita compoſuit, vt ipſi parietes pietatem redolerent & diuinam ſupernæ ſedis ſuauitatem ſpirarent. Atque vt Hortulanus in nemore regio generoſam plantam læto præſertim

ſyderi ſuppoſitam, ſpectabili in dies prouentu ad cœlum effert, ſi præſertim natiuæ ſoli fœcunditati ſolertem quoque induſtriam adiunxerit; ſic exerentem ſeſe mirificè ex natiuis adiumentis Alexandri indolem puriſſimis ſolis diuini radiis illuſtratam, educatio domeſticumque exemplum, non pœnitendis incrementis adiuuit. Nam quantum ſtudij diligentiæque rigandæ huic plantæ impenderit, facilius quis prudens rerum æſtimator aſſequetur cogitando, quàm poſſim ſcribendo. Vnde nemo mirabitur non modò ex nobili generosâque ſtirpe ſimilem prodijſſe ſurculum, ſed etiam felici prouentu auctum in cœlum vſque ſe mirabiliter extuliſſe: hoc enim verè dici poteſt ita natum, ita educatum fuiſſe, vt à corruptâ ſtirpis humanæ contagione videri potuerit non plus hauſiſſe malignitatis, quàm piſces ſalſedinis è mari.

Vix blæſa formare verba, vix greſſum firmare nouerat, cùm per ſanctiſſimæ matris induſtriam, IESVM, & MARIAM, cœpit inclamare, auſpi-

catissima faustique augurij nomina: reliquosque sanctos piè appellare, simul atque soluta linguæ vincula permiserunt. Crepundia vel nulla vnquam habuit, vel extra cunas nutricisque vlnas non retinuit; sed ad seria quæque animum adiunxit, quasi properante naturâ, & quæ vitæ breuitatem præsentiret, compendiosum omnis sanctitatis cursum contrahente. Denique per omnem pueritiæ flexum canescere visus est, & in iuuenili grauitate maturescere; adeo vt si sint centum annorum pueri, sint & quinque annorum senes, qui non priùs luci, quàm Deo, viuere incipiant. Sed vt sua cuique sit laus, suus virtutis fructus, certum est omnem illam præoccupatam sapientiam post Dei largitiones beneficiumque singulare, matris exemplo institutionique deberi, rectè enim Seneca, Proximis applicatur, omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit.

2. de Ira cap. 22

Piorum librorum lectio.
Cap. V.

Annus suberat ætatis septimus, quam ætatem Aristoteles ad ratiocinandum, atque adeo ad virtutem & vitium maturam esse asseruit, cùm animi sui sensa proferre, & oblatos quosuis libellos expeditè nosset legendo percurrere: sed annorum tempus virtus iam præuerterat, nam Beatissimæ Virginis Officium, statasque preces quotidie recitabat, idque in omni vitâ deinceps solemne tenuit, horis verò succisiuis, sacella domi moliri, arasque concinnè structas imiginibus exornare, & quidquid ad decorem loci faceret, vndequaque aggerere & conquirere. His studijs perfunctus, totus in librorum piorum lectionem ferebatur, quâ animum dicebat contineri, ne vagus inutili quapiam cogitatione diffflueret. Incidit fortè in vitas patrum, quorum in castigandâ carne seueritatem cùm legisset, tanto imitationis studio exarsit, vt eis nihil con-

cessurus videretur, nisi moderator conscientiæ, suimet ipsius homicidam fieri vetuisset, ita de eo, quod de Epiphanio, dici potuisset (pingebat actibus paginam, quam legisset) & dum virtutes legeret sanctorum omnium, sanctum virtutum omniũ effecit: Hinc vides mirabiles extare in omnem partem assiduæ lectionis fructus, & ad parandas virtutes non parum iuuare. Vt enim qui in sole ambulant, nec opinantes colorantur; ita qui res fortiter gestas aliorum legunt, imitationis studio & virtutis colore imbuuntur. Sed quo nostræ ætatis fato, in dies prodire videmus scriptorum greges, qui musas in prostibulum velut inuerecundas meretriculas inducunt, qui tam turpes sunt & obscœni, vt quâ se turpitudine pauerint, in chartam non pudeat euomere, quod alij quoque legendo resorbeant; perinde ac si parum essent turpes & inuerecundi nisi alios ipsorum sordes inquinarent. Quod verò sanguineis esset lacrymis deflendum, prostant illi venales libri, & inuitis, aut saltem non petentibus adolescen-

tibus obtruduntur: sis vtinam mutus & elinguis, Adolescens Christiane, qui in tam fœdis ac turpibus libris eloquẽtiam quæris & vrbanitatem. Si quis priuatam ciuis alicuius ædem meditatâ incensione, aut hominem veneno sustulerit, suppliciorum acerbitate coërcetur: & tamen, proh dolor! impunè volitabit, qui viua sancti Spiritus templa obscœnis facibus comburat, & tot innocentes librorum veneno inficere tentet, & interficere. Vestram fidem, vestram operam, Adolescentes optimi, agitur quippe patris æterni gloria, vestræ parentis honor, fratrum vestrorum vita, Ecclesiæ salus, & siletis: hos libros, ne vos & condiscipulos, Vulcano deuouete.

Alexandri studia literarum.

CAP. VI.

COgnata semper esse solet pudicitiæ sapientia, vnde virgines Musæ, virginem amant, & in sua eruditionis adyta facilè admittunt. Auer-

roes ipse , tam impius quàm peritus Philosophus , castitatem ait aliasque virtutes, quibus concupiscentia carnis comprimitur ad scientiæ adeptionem plurimùm valere. Ea autem Alexandri vitæ ratio fuit , vt virtutis literarumque studia mutuis quasi adiumentis proueheret & siccitatem illam pietatis , quæ gigni ex re literariâ solet, salutari virtutis succo corrigeret. Itaque statis Ecclesiæ precibus , sacro, vesperis , concionibus, supplicationibus, vt primus ferme , sic postremus interfuit, sic vt ne leuissimam horæ partem ab officio sacro suffuratus in studium transfunderet literarium , longè minus in inane, aut etiam vetitum: Sed in vtroque coniunctim ita desudabat , vt nulla hora vel pietati vel studijs ferme periret , eà tamen cum cœli prudentiâ, vt in ipsa discendi contentione plus virtuti quàm litteris studeret , non quòd vlli æqualium de necessarij ad studia laboris nauitate concederet, omnibus licet celeritate ingenij memoriæque felicitate præcelleret : sciebat

enim, qui sibi ipsi desunt quique officij munus negligenter obeunt, eos indignos esse, quos admodum Deus adiuuet: Altera verò tanti in studia laboris causa erat, quòd intelligeret ita se rem plerumque habere, vt quò quisque in literis addiscendis vigilantior est, eò sit in comparandis virtutibus magis sollicitus & studiosus, cùm hęc se foueant iuuentque exercitia, simul adolescant, simul maturescant. Porrò in glorioso ingenuarum artium stadio studioque feliciter processit, cultam politioris Latinitatis elegantiam combibit, orationes in scholis conciones in templis (vt in Italia, cùm doctrinæ Christianæ rudimenta traduntur, à pueris amat factitari) memoriæ mandatas scito gestu, congruo habitu corporis, debitâque vocis inflexione ad vsque inuidiam æqualium populique admirationem pronunciabat. Philosophica quidem, propter immaturitatem non attigit, satis iam aliunde magnus Philosophus, qui terrena potuerit despicere, & veram cœli sapientiam non

tam indagare, quàm inuenire; diuini enim ſpiritus & interni doctoris occulta Philoſophia, ſic eius peruaſit animum & erudijt, vt in tenerrimâ ætate ſuper ſenes intelligeret. At tanti profectus ratio ſi reddenda eſt, hæc ferme fuit vnica, quòd Deum præceptorem habuit, Deiparamque magiſtram, quam, vt infra attingemus, conſtat ſtudenti ſpectabilem aſtitiſſe, librique folia proprijs ipſam digitis familiari obſequio vertiſſe. Diſcite (Adoleſcentes Chriſtiani) inimicam ſcientiæ eſſe voluptatem, quæ ingenij aciem retundit, iudicij vim reprimit, arcam memoriæ infringit, phantaſiam fœdat, ſenſuſque à rationis imperio ſolutos in omnem laxat libidinem. Addo cum medicis, ſpiritus illos vitales, qui contemplationi ſtudijſque deſeruiunt, ita in voluptatis impenſas abſumi, nihil vt virtutis poſtmodum contemplationi ſuperſit: caſtitas verò cerebrum perpurgat, ingeniumque ad peruidendas quaſuis difficultates illuſtrat: vnde vt caſtitate quiſque, ita ſcientiâ excelluit. Inter vates Iſaias &

Daniel castissimi: Inter Patriarchas, Ioseph diuinissimus: inter Euangelistas, Ioannes: inter Doctores, Doctor Angelicus, non tam doctrinâ, quàm castitate præstitere. Sapienter igitur orabat sic Augustinus, Deus, qui non nisi mundos corde verum scire voluisti.

Alexandri in Domini passionem affectus.

CAP. VII.

INter cætera, quæ iugi cogitatu versabat mysteria, sacrâ Dominicæ passionis memoriâ incredibiliter afficiebatur Alexander. Cùm imbecillum caput vis doloris obtunderet, repetebat cogitatione obsitam Christi ceruicem, & horridis Vepribus cruentatam: Si longum noctis insomnis tædium pateretur, subibat animum Christus, qui in cruce non dormiuit, sed obdormiuit. Denique non modò memoriam voluisset, sed imaginem Christi patientis, voluntarijs corporis afflictationibus, & animi pijs commentationibus renouare. Si quid in

mensâ manu prehenderet, ſi quid ore exciperet, non aduertens ſine delectu ex appoſitis ferculis promiſcuè delibabat, ſi tamen delibabat, ad eò mens ſe ad interiora conuerterat, & Deum Chriſtique ſanguinem, dulciſſimum animarum epulum deguſtarat.

Ante medicinarum hauſtum de Chriſti paſſione aliquid ſolebat cogitatione prælibare; quæ in Dominicam paſſionem pietas vel in primâ pueritiâ vt initium habuerit, intelligite. Veſtibus Alexandrum ad huc quadriennem exuebat aliquando, lectulo componendum famula cui id negotij & prouinciæ erat. Cùm ecce puer oculis piè & conſtanter in imaginem defixis percùnctatur, cuius ea foret effigies, atque vbi imaginem Chriſti eſſe accepit, qui ad mortales poënis æternis eximendos hominem induiſſet, & proprio ſanguine noxas noſtras eluiſſet, attolle me, inquit, tantiſper, meque huic imagini propriùs admoue; ſublatus verò & deſiderio

potitus, tam tenero pietatis affectu oculis imaginem & osculis pressit, vt & gerula in vberrimas lacrymas soluta sibi moderari, & puerulus à suauissimis Domini sui amplexibus vix potuerit auelli. Hunc Doctore nullo mortali, sed Deo magistro pietatis sensum visus est didicisse, & ita animo in omnem vitam imbibisse, vt quoties in secretiore domus penetrali se procul abderet ab arbitris, incredibilem animi voluptatem, ceu mel dulcissimum ex Christi vulneribus, quasi totidem vberibus ex sugeret.

Simile quid de alijs legimus: Diua Margarita cœli pretiosa gemma, quadriennis quoque vbi primùm Christi è cruce pendentis imaginem aspexit, audijtque eâ regem regum designari, qui vt ipsam sibi sponsam adsciscerer, humanæ carnis mortalitatem induerat, tanto in dominicam passionem affectu exarsit, vt regio fastu abdicato, thalamos mortalium exosa, negarit se cuiusquam sponsi, nisi vnius Christi amore posse succendi. Hinc nunquam nisi in dominicâ passione accidit lætari

cuius meditatione sæpe fatigata est, nunquam satiata. Hic venit mihi in mentem sanctæ Iulianæ, quam & Florentia tulit: gestabat illa Christi dolores tam altè animo infixos insculptosque, vt in demortuæ cadauere, Christi è cruce pendentis imago reperta sit dum viueret verò, feria quartâ & sextâ, nihil omnino victus, Sabbatho panem tantùm & frigidam admittebat. Subit quoque recordatio D. Nicolai, qui infans adhuc non tam matris pressabat vbera, quàm ieiunio se pascebat, sed infantiæ cursum ita temperabat omnem, vt ex ætatis naturæque necessitate cæteris diebus frequentiùs, feriâ quartâ & sextâ non nisi semel mammam sugeret; iam tum dominicæ passionis memor, quamuis nutricis blanditijs & inuitamentis prouocaretur. Pari affectu Alexander memoriam recolebat Dominicæ passionis, & corporis afflictationes adhuc infans quærebat: rogauerat eos, quorum induere, sic & exuere negotium erat, nullum vt vespere nisi de Christi passione Sermonem legerent, sinerent-

que in illa cogitatione obrepentem oculis somnum excipere: matutinæ verò precationis tempore, dum pro Christiani hominis officio faceret satis, post habitas Deo de collatis beneficijs gratias, diem ab aliquâ Dominicæ passionis meditatione solebat auspicari. Licet vnicuique in reliquam vitam de Alexandro coniecturam facere, si quadriennis vix hausto vitali spiritu, nondum de se ipse quid sit, quid moliatur, intelligens, iam tamen meliore actus Spiritu, Christi patientis memoriam veneratus est; diuinoque ductu bellum genio atque innocenti corpori crudelissimum indixit. In alijs quidem pueris non tam res, quàm spes, non tam propria, quàm parentum virtus commendatur; sicut enim seminis vim indolemque refert arbuscula quæ ex semine extitit, sic liberis ex satu ipso corporisque temperatione à parentibus innascitur virtutis germen quoddam, quod idoneâ postea ætate in fructus adolescit. At Alexandrum, non dico supra ætatem, sed supra

naturæ vires sapientem, non tam parentum propagata ingenitaque laudatio commendat, quàm sua ipsum virtus singulari præpotentis Dei beneficio præmissa & accelerata.

Alexandri in corpus rigor.

CAP. VIII.

EX illo in Dominicam passionem affectu, nascebatur incredibilis in corpus rigor, qui in primâ infantiâ mirum quantùm enituit. Itaque à famulâ aliquando adhuc infans per amicitiam ipsam, quâ summâ fide ei semper fuisset charissimus, vehementer contendit, vt si quid vnquam suâ causâ voluerit, si quo tempore ipse meritus sit, ei vt gratificari velit quidpiam, beneficium hoc ei tribuat, quod esset petiturus nemini mortaliũ euulgandum: annuit illa petitioni, cuius sanctitatem satis præuidebat, sed ille, vbi sibi habuit obstrictam promissis, quæ iuramenti fidelitatem in tam sanctâ famulâ æquabant, quæso te, inquit, subuculam mi-

hi texe cilicinam, vt Christi patientis dolores vtcumque possim imitari: obstupuit famula, & crudelitatis notam, si annueret, si abnueret, infidelitatis suspicionem verita, prudenter statuit ex parte eius desiderio sine seueritatis notâ satisfacere. Reticulum ergo de crassiore & nodosiore filo ei concinnauit, rata simplicem infantis candorem his posse reticuli laqueis implicari & eludi, excepit ille exoptatum, vti rebatur, cilicium, haud aliter, quàm si potitus esset purpurâ, certus in omnem vitam nusquam ponere. verùm non multò post Alexander questus, remissiorem in illo pœnitentiæ instrumento esse asperitatem, ancillæ laudabile maleficium accepit, & indignè ferens hanc cilicij interpretationem, vehementer cum eâ expostulauit, ciliciumque petijt verum, pilis hirtisque setis asperrimum. Sed negauit prudenter famula sibi licere duriùs aliquid texere, nisi Sacerdos qui ei à pœnitentiæ sacris erat, & cuius nomen Alexandro sanctum & graue esse nouerat, annuisset. Alexander id non ex

humana

humanâ calliditate; sed vt cœlesti consilio gestum accepit, atque cùm diuina iussa ex cœlestis internuntij confessarij ore audiuit, maluit cum obtemperationis laude imperanti parere, quàm cum pertinaciâ suis nimiùm rebus confidere, & voluntatis propensioni indulgere. Denique vt verè dicam, corpus ita in omnem vitam vexauit, vt perire tantùm non fineret: Id verò non domandæ, nihil enim indomitum aut recalcitrans experiebatur, sed afflictandæ carnis causâ. Hîc ego non vanus augur facilè coniecero, quod sibi optasset Alexander parentem S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi matri persimilem, quam singulis annis ad filium adhuc iuuenem misisse ferunt veram castitatis vestem, asperrimum cilicium.

Alexandri singularis modestia.
Cap. IX.

Rectè D. Ambrosius modestiam (à modo scientiæ quid deceat) dictam existimat. Hæc ab animo com-

posito manans in ore, & gestu, concinnam efficit moderationem, quâ mirificè recreantur intuentium animi, & ad honestissima quæque inuitantur. Si qua autem virtus adolescentes spectet, maximè modestia, quæ amabiles & gratiosos facit. In eâ ita enituit Alexander, vt interioris innocentiæ splendor foras erumperet, & singularis animi candor vel ipsis oculis intuentium emicaret. Hac illâ modestià, quâ socijs erat exemplo, cæteris miraculo, ita sibi animos demerebatur omnium, vt vicissim eximiè redamaretur, sic tamen vt nullius priuatim amicitiâ, nec communi omnium plausu insolentiùs efferretur, & ita inuidiam, quâ plerumque æmuli inter se flagrant, cùm vnum aliquem è multis vnicè vident adamari, facilè superabat. Hilaritate frontis, morum grauitatem ita temperabat, vt gaudium in risu intelligeres, cachinnum non audires: ita erat totus comis & candidus, vt licet de diuinis sæpe rebus sermones misceret, & hinc inde ardentes cœlestium desideriorum

scintillas euibraret, nihil tamen exosæ morositatis præ se ferret. Nam nec contendere clamosiùs solebat, nec curiosiùs inuestigare omnia, ac lustrare, non impatientiùs se circumferre, non importunè loqui, nunquam obloqui arrogantiùs, sed egregia frontis maiestas totiusque corporis liberalis venustas, dignum tam eleganti domicilio & sede hospitem animum demonstrabat. Atque vt comes est modestiæ magna aliorum veneratio, quemlibet in viâ obuium, præsertim Sacerdotem, vultu quamuis & veste despicabilem, vel crucis imaginem in publicis compitis spectabilem, aperto capite perhonorificè salutabat, tantoque cauebat studiosiùs hoc in genere lapsum aliquem aut impudentiam, quod ea honoris officia cerneret obsoleuisse apud alios & viluisse: quod verò ad corporis sui ornamenta spectat eam in omnibus moderationem adhibebat, vt in modestissimo amictu (qui nobilitatem semper generisque splendorem decebat)

inuenire superfluum potuerit nihil, præter otiosas dentatasque suorum collarium coronides, quas, vt abijceret à parente postulauit, causatus hisce lasciuijs acutisque dentibus animum quasi suum morderi & pungi.

Rectè Diuinus ille Plato velut è Delphicâ Tripode pronunciauit, quod si virtus & honestas humanis posset oculis vsurpari, mirabiles sui amores excitaret. Certè constat virtutem in Angelicâ Alexandri modestiâ veluti depictam plerosque mouisse ad æmulanda eius vestigia: placabat turbatum aspicientis animum vultus ille modestè serenus & ad placidam hilaritatem compositus. Quà verbis quà officio omnes ad Virginis Deiparæ amorem incendebat, & quam ipse principe studio colebat, eius cultum amoremque conabatur apud alios vt faceret auctiorem. Si quos sermones vel minùs vtiles aut honestos audiret, prudenti verborum anfractu & circuitione sensim ad res pias colloquium traducebat, & pro sua virili allaborabat, vt virtutem omnes colerent. De alieno

tantùm profectu gaudebat, quantùm suo; longè secus ac inuidi, qui virtutis quidquid & bonorum alijs vident accedere, sibi totum putant decedere. Ad virtut. autem incrementum & propagationem non parum faciebat illa, quâ apud socios erat authoritate, quæ tanta erat, vt eo superueniente aut eminùs conspecto, omnes se ad modestiam componerent, scientes neque seriò neque ioco dictum vllum aut factum minùs decorum ab Alexandro ad aures posse oculosque admitti: erat enim sermonis minùs honesti tam seuerus censor, vt eo accedente dictum fuerit, quod de S. Bernardino aliàs, tacete, Alexander adest, quique malos sermones sererent, ab illius occursu pedes, ab intuitu oculos retraherent. Hinc Adolescentes modestiam discant colere memores verborum sancti Fulgentij (qui humano conspectui concupiscentiam seminat, necesse est vt in diuino conspectu iracundiam metat,) vbi illi Adolescentes, qui non obscæna modò cogitationibus continent, sed decantant, vt & à pluribus

audientur, & in aures molliùs instillentur. Qui multas horas ad speculum malè collocant, & crines serpentum more in cincinnos conuoluunt. Quid indigniùs quàm tot lusus in excrementitiâ corporis redundantiâ ludere, & viros muliebrem vanitatem in alendis promittendisque crinibus æmulari: quin etiam ad ipsos vsque pedes & calceorum elegantiam descendit ipse luxus, non vt pedibus teratur, sed vt nulla pars corporis superbiâ vacet.

Modesta Alexandri pulchritudo.

CAP. X.

QVemadmodum nihil turpiùs indigniúsue est quàm adolescentes cernere venustulos & pumicatos, qui calamistro vultum muliebriter expoliant, & vt venereæ puppæ per plateas delicato effœminatoque incessu obambulent, ita planè nihil amabilius est pulcriúsue, quàm virilis & in-

genuitate nobilis pulchritudo, vbi cum eximia oris venustate & decore mores consentiant. Est enim illa pulchritudo, quæ ex virtute procedit, fulgor quidam animæ, radius gratiæ, scintilla diuinitatis, & supremæ illius maiestatis expressio, quæ ad homines poliendos ornandosque è cœlo defluxit. Hausit à natura noster Alexander eximiam pulchritudinem, quam ars peregrina nunquam infecit, sed virtus superaddita decorauit. Et quidem non infrequenter accidit, vt quos haberet in vicis obuios, formà eius modestiâque plusquàm humanâ suspensi consisterent, & vehementer obstupescerent. Nám vix vllo vnquam casu siue prospero siue aduerso, vultus tranquillitatem posuit, vt mœstitiâ nunquam turpiter contractus, nec lætitiâ, superbè elatus apareret. Narrabat è multis vnus, cuius ædes Alexander quotidie ad scholas iturus pertransibat, ita se Alexandri vultu & modestiâ recreatum, & speciem delapsi in terram Angeli sibi videre videretur. Fuit & aliud

qui modestam Alexandri pulchritudinem conspicatus oppidò dixit, puer ille plusquam Apellæo videtur esse penicillo effigiatus, cui Alexander (propiùs enim aderat, loquentemque inaudierat) in vberes lacrymas solutus, candidè piéque reposuit; nullius ego sum mortalis Apellis penicillo depictus, sed artifice Dei optimi maximi manu sapienter conformatus. Adde quòd multi, sed Illustris maximè fœmina quoties animi vagationem in orationibus, vel molestiam animi pateretur, templum adibat, soloque Alexandri piè admodum orantis aspectu omnem animi ægritudinem fugabat. Non absimili vultus gratiâ Epiphanius donatus est perinde ac Cyprianus, quem elaboratum naturæ opus Gregorius Theologus appellat. Vt inde videas venustatem cum sanctimoniâ coniunctam, non leuem esse ad augendam animi pulchritudinem aculeum, ne quod D. Bernardus in multis timebat (decor limi, deformitatem argueret animi) est enim peruulgatum Biantis effatum: si pulcher videaris,

pulchra facito, εἰ καλὸς φαίνῃ, καλὰ ποιεῖ.

Alexandri ludus & familiaris congressus.

Cap. XI.

Ea est puerorum sæpè consuetudo & naturæ inertis, vt abiectis grauioribus curis. & neglectâ muneris sui perfunctione, totos dies inanissimis in rebus collocent & ita se in ludos effundant, vt nihil meliùs cessatione existiment: etsi autem pueris concessum sit ad iustam animi remissionem descendere, quis nescit ea, quæ per se honesta sunt, ipsâ frequentiâ & nimiâ continuatione vitiari. Alexander ita parcè & moderatè in ludis se habuit, vt facilè quis coniectare potuerit eos lusus, quibus pueri oblectantur, ab Alexandro vsurpatos potiùs, ne suis coæuis displiceret, quàm vt ex naturæ propensione voluntati suæ, aut voluptati satisfaceret. Neque enim crepundia sectabatur aut ludicra, quibus illa ætas capitur, & in eâ quam raró ad-

mittebat relaxatione nunquam viuendi studio ad inanes rixas descendebat; quin vt veritati patrocinaretur potiùs, quàm superandi cupiditati, animi sui sensa ingenuè in contentione victoriæ aperiebat. Et licet innata sit pueris leuitas, Adolescentibus temeritas, ferocia iuuenibus, nec speretur nisi à senibus sapientia, & à canescentibus maturitas expectetur, tantâ tamen fuit Alexander grauitate, vt in pueritià maturescere visus sit, & in adolescentià consenescere, sicque à primo exortu per reliquum, qui breuis fuit, vitæ flexum, festiuam quandam tenuit maturitatem, iuuenilemque senectutem. Nam ita grauiter erat in coætaneorum congressionibus comis, ita verax, vt illa benignitas adulationis suspicione, & veritas odij metu amaritudinisque notâ vacaret: à mendacijs, verò quæ solent esse pueris nimis familiaria, sic abhorrebat, vt ne per iocum proferret quidpiam, quod à veritate crederet alienum, iam tum à magistro numine edoctus pueritiæ ornamentum esse candidam innocentem

que ad omnia simplicitatem, mendacium verò vilem abiectumque animum redolere: adde quod in familiari congressu tantam cautionem adhibebat, vt si quid ad eius laudem narraretur, oculis semper esset vel depressis, vel aliò à laudantis vultu conuersis. Denique id ausim asserere, pueritæ annos viuendo quidem transegisse, sed nusquam puerum extitisse: nihil enim puerili leuitate, sed supra ætatem omnia annorumque captum prudentissimè perfecit. Et, quod magnam habet admirabilitatem, etsi naturà suà dispares, tali moderatione temperauit, vt, neutrà comiti inuidiam faciente, idem & grauissimus fuerit & suauissimus. Potuitque vt Græci S. Macharium adhuc adolescentem nuncupauerunt (iuuenis senex) appellari.

Alexandri ineundæ Religionis confilium.

Cap. XII.

Mirari fatis non poffum inflammatam aliquorum parentum cupiditatem, & propè dicam infaniam qui dum liberis cognatifue bene effe cupiunt, & eorum fortunæ velificari, non Dei voluntatem vt fydus Cynofuramque nauigationis fuæ refpiciunt, fed vel lucem auri, vel fplendorem ambitionis, cæcos itineris duces, ftultiffimè fequuntur. Longè aliena ab hac viuendi confuetudine Violantia, quam enim Deus de ineundâ Societate IESV mentem Alexandro iniecerat, ftudiofiffimè fouit: Reputabat fecum Alexander edoctus à matre, vt viri Religiofi peccandi occafiones procul habent, & tempus omne, quod alij inanibus diuitijs voluptatibufque fruẽdis ftultè impertiunt, maiori cum fœnore cæleftibus b nis parandis impendunt; verfabat animo identidem, vt pijs cogitationibus intenti coram

Deo omnia pro Deo moliuntur; hinc ea, quæ in vultu omnium eminet, serenitas, paratissimæ testis conscientiæ. Si te, inquiebat mater, religiosorum familia cooptauerit, hoc vno religionis aditu, aditum vitijs omnibus intercluseris; & vincula, quæ te detinēt plurima quasi vno ictu abscideris; Meliùs fuerit Alexandro nodum Gordium scindere quàm soluere. Hac impulsus cogitatione Alexander sæpe P. Prouincialem adijt, cum quo ad colloquium admissus, quà precibus, quà argumentis contendere, sibi vt consilij exequendi potestatem faceret, neque eam sibi felicitatem inuideret, quà ipsemet potiretur: quin etiam Romam proficisci voluit ratus negotium omne illic facilius expeditum iri. Profectionem cogitanti obstitit tamen mater, magnum apud filios nomen, & solita pietatis remora, sed ita tamen obstitit, vt currentem vellet potiùs incitare, quàm sistere: quippe intempestiuus erat fructus, nec adhuc idoneus, qui cognatā diuelleretur ab arbore: verùm cùm ad exhauriendam

quæuis etiam famulorum mandata aliàs Alexandro nihil esset promptiùs, obstinato animo obluctari cœpit; & qui maternos nutus venerabatur, iam mandata vocesque negligit, veluti in Hieronymi scholâ edoctus (licet sparso crine & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola, solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem) ita plane Alexander animum induxerat ei potiùs esse obtemperandum, à quo fuisset creatus, quàm ei, à quâ fuisset procreatus, & iam cum parente cœpit liberiùs loqui & si placet, honestè obloqui. Hanc libertatem PP. Societ. mirati, domum ad matrem remiserunt, vltimâ quasi benedictione à matre impertiendum, abijt ille lætus & alacris, quasi post salutationum officia rediturus; matrem rogat sibi vt bene apprecetur, obsecratque vti, quod consilium Deum habere authorem nouerat, & non errantem prouidentiam, id ne disturbet, perue-

amicitiæ specie, quæ consuetudinis familiaritatem diuinæ voluntati anteponat, amicitias quæ sanctæ sunt & laudabiles, nec definiri locorum vicinitate, nec longinquitate intercludi, vbi vspiam ipse constiterit, cùm charissimâ matre domicilium semper sedemque habiturum: ideoque sinat cogitata factis persequi. Moxque ad domesticos conuersus, ignoscite, inquit, si quid in vos admisi, quod noceat: Hæc inter dicentis verba, lacrymæ gemitusque famulorum intercrebrescebant, altiúsque planctibus quàm voce respondebant. Nunquam mater lætiore vultu suum pignus aspexit, nusquàm suauiore osculo blandita est, etsi solitudinem illam & à filio orbitatem, secundam veluti viduitatem cogitaret. Verùm vbi ab ætate aditum sibi in societatem intercludi audijt, remque differri donec ex Ephebis excessisset, tum enimuerò mœstitiæ & dolori habenas laxare, haud aliter quàm si subitâ morte extinctos parentes amisisset,

nam veluti exortà repentè tempestate, de portu, quem sibi certum spoponderat, in altum pelagus relatus, oceanum lacrymarum cœpit mittere, donec spe nouâ lactatus, & obedientiæ laude recreatus, si me, inquit, reflectere cursum iubeas, tuum est (consultissime mundi rector) statuere, quod cupias; mihi summa lex est & voluntas vna, quod iubeas, exequi; quod vetes, non attingere: en quò me vocas, quò reuocas, promptissimè aduolo: quò præis sequor, vnde fugis, abeo: obedientiam arbitratus fundatissimâ lege, multò valere amplius quàm sacrificium & victimam: quin etiam obedientiam dixit cum Beato Aloisio naui esse persimilem, in quà non minus celeres in altum deferuntur, qui moderatoris iussu otiosi sedent, quàm qui remigando toti desudant.

De Religiosâ Alexandri vocatione, pugnâ, & victoriâ.

CAP. XIII.

ALexandro Religiosum vitæ statum cogitanti mille tædia cœperunt dubitationesque ita ferme obstrepere, cœli iter breuius quidem & cum securitate compendiosius, per anfractus religionis, locorumque asperitates futurum; planius verò, etsi longiùs, per tritum sæculi callem, quem homines magnam partem tenerent; præcipuè verò, cum imparem tantis laboribus suam imbecillitatem ex recenti morbo colligeret, neque dum perspectam satis haberet eà de re Dei voluntatem. His & id genus cogitationibus iactatus Alexander, nihil secum solus statuere decreuit, aut vltra progredi, nisi confessarij consilio, & S. Eucharistiæ Sacramento communitus: nec frustra, sensit enim illico assultus hostium imbelles eneruesque

languere, & omnem animi procellam in constantem ita securitatem euanuisse; vt cœli purioris blanda facies, quæ in densissimam noctem coierat, ad priores risus blanditiasque redierit. Sed vix è periculo enatauerat, cùm alteram subit iactationem tempestatemque, eò difficiliorem, quò minùs erat periculosa. Inaudierat aliquid Violantia de filij dubitatione & tentatione; cùm ecce nouam experimenti causâ addit luctationem. Iam te, inquit, fili mi, meum agnosco, imò Christi generosum militem cœlique candidatum: decebat quidem, vt Christi, qui meus sponsus est, filius quoque esses; Sed an abiectâ, quæ tuam ætatem decet, simplicitate id simulas? & quia illius me rei percupidam nosti, meæ vis seruire potiùs, quàm diuinæ voluntati: multa addidit, quæ sileo, Attendat diligenter quid agat, quodue inire tentet viuendi institutum, haud semper recta esse, quæ videntur: In genere vitæ diligendo non temerè & leuiter, quod primum occurrit & est obuium, quoue primo

luntatis impetu abripimur, id continuò arripiendum, non enim quod voluntati nostræ optatissimum, sed quod diuinæ acceptissimum sit, id cuique esse quàm optimum; denique si sanctioris vitæ desiderio ducatur, quò quis melior est ac religiosior, tantò à sacrorum pertractatione, & ne quid temerè audeat, maiore metu retardari. His & id genus monitis, Alexandri oppugnat constantiam; eò firmiùs, quò callidiùs: cui Alexander, non audiò, inquit, matris monita, vbi patris supremi mandata vrgent: vel vnum Dei consilium tuis anteferam præceptis: ac ne me religiosis difficultatibus parum idoneum putes, fac varijs de me experimentis periculum, si quid mihi arridere noueris, abnue: si quid displicere, impera: placebit ad vitæ rigorem his rudimentis & vmbratili exercitatione præludere, corpusque & animum ad futuros labores familiaribus experimentis durare: Neque est quod de diuinâ voluntate vel potiùs imperio dubites, cùm

non obscuris signis tam sæpè constiterit. Ab eo tempore Violantia, quæ in visceribus charitatis perfectæ potiùs, quàm in sanguine filium amabat cùm eum videret virtutis semitam feliciter decurrere, stimulos tamen addebat: & patientiæ, vel experiundæ, vel augendæ occasionem suppeditabat. Generosus verò adolescens vbique sibi constans & similis, nunquam depositâ falce quiescebat, sed non dicam succrescentes aut adultas, neque enim ætas admittebat, sed vix enatas prauorum affectuum herbas in radice resecabat, nullâ vt in re faceret, quod liberet, nisi id ipsum Deo, confessario, matri, sciret approbatissimum. Et verò laudatissima semper adolescentiæ virtus habita est obedientia erga parentes, aliosque maiores, quâ de re si quis dubitet, Isaacum intueatur & Absalonem; ille omnium admirationem sibi meruit & prædicationem, qui tam promptus fuit ad obtemperandum, etiam grauia imperanti, vt voluntariam se Deo victimam offerret: Huius verò impia contra parentem rebellio,

omnium execratione damnatur, quòd per eam aliud adeptus sit nihil, quàm vt paterni præcepti violationem turpissimo ac miserrimo lueret suspendio.

Alexandri patientia & animi demissio.
CAP. XIIII.

NOn defuit Alexandro patiendi materia, non enim tantùm à parente sed à famulis, quibus singulare in se concesserat imperium, verbis asperis acutisque vapulauit, adeout si quid contra voluntatis propensionem contingeret, non modò non irasceretur; sed ne doleret quidem, multò minus recordaretur iniuriæ. Contigit aliquando vt asperiùs ab aliquo quàm verbis solis haberetur, pœnam licet innocens, plusquam Spartanâ tulit patientiâ, & quod alius deliquerat, ipse per errorem insimulatus, vltro nihilque pro se causatus sustinuit: monitus verò & ad aperiendam innocentiam inuitatus, an non, inquit, rectius fecero, si tacuero: & satis habuit Pytha-

goræ discipulum agere, culpamque alto æternoque silentio excusare. Ex hac singulari benignitatis laude animique facilitate, proles veluti extitit, mirum depressionis & despicientiæ desiderium. Numquam inani se lætitiâ efferebat, aut magnificâ de se opinione insolescebat, nunquam sibi blandiri contigit integritatis commendatione, aut vanâ spe celsiorem gradum honoris quærere; Sed domesticæ laudis accessionem vnius virtutis amplificatione cohonestandam putauit. Si quid de natalibus, de communibus familiæ suæ laudibus audiret, eam laudationem tantopere demissis oculis purpureisque genis erubescebat, vt astantes ipsi atque adeo laudatores misericordiam caperent. Si domestica spectemus, socios honorificè semper, seruos nunquam imperiosè, præsides summâ cum veneratione appellabat, ab omni fastidientis signo, quidquid loquerentur, remotissimus. In vilibus verò ministerijs cum voluptate occupabatur, æque ac si eò loco natus, eoque iure esset, cui

ex conditionis nataliumque necessitate illorum studium exercitatioque congrueret : melius dixerim tantâ cum animi demissione famulos nominabat, vt verecundiores illos faceret, roganti semper & supplici propior, quàm iubenti. Insigne quoque est humilitatis monimentum, quod suam semper in virtutis cursu tarditatem increparet, vt ne momentum quidem videretur implesse; ea autem in se notabat & incusabat, quæ nec noxas alij numerarent : nec modò in suis ipse carpendis castigandisque erratis multus erat & frequens; sed ea quoque ab alijs in se castigari postulabat, omni personarum siue superiorum, siue æqualium, siue inferiorum definitione sublatâ. Quin & ipsum reprehendendi modum in reprehendentium censorumque arbitrio ita ponebat, vt si collibitum esset, pœnas reprehensioni superadderent.

Alexandri virginitas.

CAP. XV.

SVa est cuilibet ætati adnata virtus; senili rerum gerendarum peritia, virili fortitudo, pueritiæ simplicitas & candor, sed adolescentiæ conuenit pudicitia, quæ eò maiore laude digna est, quòd facilis sit in malum huius ætatis lapsus. Dubitauerim ego an ad castitatem tuendam, adolescentibus oculi prosint magis, quàm obsint: Hinc enim cùm lubricus sit & vagus ad obuia sensus, ita libidinis faces excitat, vt oculis carere melius videatur; inde verò Argo opus est oculato & studiosè vigilanti, ad custodiendam castitatis & sanctimoniæ arcem, quæ à tot hostibus tam cautè oppugnatur. Attexam hîc non leue castitatis argumentum quo constabit non modò vitia, sed & vitiorum imagines tam longè ab Alexandro abfuisse, vt & ipsæ inordinatæ perturbationes, quæ rationis vsum solent anteuertere, sese continerent & tantarum

virtutum aspectum consortiumque erubescerent. Res sic se habet, Violantia, quæ nullas materni officij partes non obibat, partim de Angelicâ filij simplicitate læta, pattim sollicita, ne flos ille marcesceret aut minimùm elangueret, ad expellendas animo fœdas impuritatis cogitationes filium hortabatur; sed cùm ille, quamuis iam pubes, & paulò ante mortem, nescire videretur quid vellet, nihil vltra loquendo progressa est, neque id docendum existimauit, quod meliùs nescitur. Quin etiam dissentientibus aliquando famulis de septem peccatorum lethalium grauitate, cùm rogasset Alexander, quodnam esset luxuriæ peccatum, audijssetque nihil aliud esse, quàm vsuram; responso contentus, nihil vltra obtendit. Ex his rebus conijcere est corpus Alexandri omni sensu motuque libidinis, & mentem omni fœdarum imaginum obscœnitate, dum vixit, caruisse, quod tantò plus habet admirabilitatis, quòd minime ex hebeti tardâque indole proficiscebatur, quippe qui multo san-

guine ac spiritu feruidus, sagaci perspicacique esset ingenio; sed Dei gratiæ id totum referendum est acceptum, cuius singulari beneficio in mediá, quæ æstuare solet, adolescentiâ & præferuidâ indole, natiuum quasi frigus stuporemque sensibus induerat. Quod si satyrâ suffragante, pudor & pulchritudo vix vnquam simul absque dissidio habitant, non vulgaris debetur Alexandro laudatio, quod in ea venustate ita virginitatem coluerit, vt dubiam sibi palmam mutuò fecerint, formositas & castitas. Itaque multa in eius ore erat gratiæ, multa venus, sed quid venerem loquor: tam longè aberat à venere pudica facies, vt intuentium oculis, quòd sæpe contigit, castitatis amorem instillaret puritatisque odorem afflaret. Quod donum omni humanâ industriâ maius, quàm sit eximium, intelliget qui secum animo reputabit animi nostri hortum tribulorum spinarumque, quæ animum pungant, sponte suâ feracissimum.

Excitet igitur (ô Iuuenes) animos

vestros castitatis amor, & quamuis Alexandrum sequi non possitis ab omni libidinis sensu expertem, non desunt, quos deceat æmulari. Non enim insolens hodie factum est Parthenicis Sodalibus ad libidinis æstus edomandos manum torrere ad ignem, nudosq́ se in vepres inducere, hibernis se niuibus volutare, vel importunum ardorem rigenti flumine restinguere, atque, vt vetera sileam, non ita pridem Cordubæ virginitatem vouit ante aram sacratissæ virginis eximius castitatis sectator, & vt voti monimentum extaret aliquod, domum reuersus venam sibi ipse aperit, & votum excepto sanguine in chartâ scriptum & consignatum reponit in sinu, quocumque iret secum laturus, vt hoc veluti clypeo omnes impuri dæmonis assultus fortissimus pugil retunderet. Quæ si non sufficiant, attendite virginitatis præmia, & cogitate Alexandri corpus etiamnum integrum, & à labis contagione intactum propter eximiam virginitatem permanere.

Viginis Deiparæ in Alexandrum amor.
CAP. XVI.

Sit licet angusta cœli porta, certè laxam habet patentemque, qui Mariam, quæ cœli porta est, portam habet. Et verò nemo dubitauerit, quin Augustissimæ Virginis erga nos amor parentum omnium benignam indulgentiam & maternam beneuolentiam antecellat: at quamuis quotquot viuunt Christiani à candidis illius vberibus pendeant omnes, & sub regiâ illius veste contineantur, certum est tamen similitudine quâdam, voluntatumque consensione amorem conciliari; nec eos beneuolentiâ satis coniungi posse, quos mores humoresque disiunxerint. Hinc factum est, vt non nisi virgines Virgo amet, virginemque Alexandrum tanto teneritudinis affectu dilexerit. Et verò multos quidem clientes Beatissima Virgo familiariter habuit, ægros sanitati restituit, saluti perditos, multos lacte recreauit; nescio tamen an non maiora

Alexander

Alexander acceperit beneuolentiæ testimonia, nihil iuuat iam dicta superiùs retexere, vel inferiùs dicenda præoccupare & anteuertere; sufficiat quod vix tot aulicos Alexander Magnus habuit, quot Angelos noster Alexander sui stipatores, inter quos visa est sæpissimè ab Alexandro sacratissima Deipara, quæ filiolum IESVM in stragulo lectuloque Alexandri deponeret. Asseruit quoque insignis pietate Dei famula, vidisse se eandem cœli Reginam Alexandro literarum studijs operanti iugiter adesse, & ei libellos studiosè lectitanti folia officiosè suis ipsam manibus vertere, vt non mirum videatur si longissimo suos condiscipulos interuallo eruditione reliquerit: Aliud subijcio non minori dignum admiratione; Duobus ante diebus quàm è viuis migraret, visi sunt Angeli speciosissimos flores manibus præferentes turmatim eius conclaue subire, cúmque supremos duceret spiritus plures grauesque testes huic spectaculo præsentes vidisse se iurati asserunt, cælitum Reginam comi

vultu astantem, Angelo ex ijs, qui aderant, speciosissimum Diadema floribus varijs, pretiosissimáque gemmâ ornatum præbuisse, vt simul ac è viuis excessisset hoc animam floreo diademate coronaret, eâ potissimum de causâ quòd illibatum incontaminatumque virginei pudoris lilium constantissimè seruasset. Hâc coronâ per Angelum ex imperio sacratissimæ virginis insignitus depingi solet, eiusque imagines in Italiâ venales circunferũtur. Omiseram ferme quod minimè oportuit, Alexandrum in illâ difficili, quâ diu laborauit ægritudine, summis tunc gaudijs exultasse, cùm immoderatis febrium ardoribus æstuaret, cuius lætitiæ causam percontata mater ex ægrotantis ore accepit, Deiparam virginem radiante serenam vultu suis semper obtutibus vsurpari: ac ne quis ægri deliria reputet, eadem non vulgaris sanctitatis mulier, quam superiùs laudaui, cùm eorum nihil resciuisset, quæ Alexander indicarat, per obedientiam à confessario adacta, visum sibi esse dixit Ale-

xandrum suauissimâ florum fragrantiâ à D. Virgine recreatum, dum iaceret, diceretque, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Meliùs dixerim, ne sua patientiæ corona deesset, tot è cœlo flores deciderunt; ô flores, ô germen, ô herba enascens, si quidem poteris ad maturitatem adolescere, quàm lætam ex te segetem fructumque polliceris? vos verò, perditi adolescentes, alienæ castitatis oppugnatores, qui fœdis cogitationibus, vel præsentibus intenti, vel præteritis manetis fœdati, desinite vestram in studijs tarditatem mirari, discite ex Alexandro miram esse virtuti cum doctrinâ cognationem, quâ vicissim mutuo sibi sunt ornamento subsidioque, discite in literarum patronam habere potentissimam increatæ sapientiæ parentem.

Alexandri in sacratissimam Deiparam, aliosque diuos pietas.

Cap. XVII.

Causam peractam habet, qui iudicis matrem in patronam habet: quod in sacratissimâ Virgine eò verius reperitur, quòd vehementior ac suauior est ad amorem gratia, quàm natura, vt ait D. Ambros. Alexander sanctorum omnium suffragia precesque perstudiosè ambiebat, &, vt natalem cuiusque solis annuus referebat anfractus, sic singulari quodam cultu & peculiari veneratione colebat: Ipsam verò cœlicum hominumque Reginam, per quam omnia in hominum genus ex immenso diuinitatis inexhaustoque fonte deriuantur, principe studio velut matrem filius ac reuerentiâ venerabatur, & tum maximè cùm lux aliqua aduentaret commemorandis eius actionibus mysterijsque deuota. Ac inter cæteros Angelum Custodem, sanctum Ioannem Euangelistam, sanctum Franciscum, peculiari verò

Lib. de Offic. cap. 17.

afferru sanctum Ignatium & B. Aloisium Gonzagam; illum vt patrem, hunc vt olim fratrem, pro virili suá conabatur & colere & æmulari. In appellandis rogandisque cœlitibus ad cuiusque merita & dona, quibus, dum degeret esset auctus, postulationem accommodabat, ratus neque ipsos beatos id exigere, vt eodem omnes honore sine varietate colantur: neque sine Dei cecidisse consilio, vt cùm non eundem in vita cursum tenuerint, omnes diuersâ post mortem largitionis liberalitatisque gratiá floreant, eà verò præsertim, per quam ipsi Deum salutemque inuenerunt. Quos autem peculiari studio obseruandos sibi colendosque susceperat, eorum cultum nullâ vnquam vel desidiâ vel obliuione præteribat, initam semel amicitiam, arbitratus piaculum dissuere ac dissoluere. Sic cùm fortè semel patronos suos statis precibus non consalutasset, vocem audijt sic increpantem si tuorum obliuisceris patronorum, Alexander, illi patrocinium tui deponent. Hac voce repente perculsus; rogatâ

prius veniâ eos in poſterum decreuit, nec vſquam omiſit, curâ ſolertiore venerari.

Alexander totus SS. Eucharistiæ deuotus.

Cap. XVIII.

VT ſemen eſt immortalitatis Euchariſtia, ita & prædeſtinationis argumentum ſingulare, magna in Euchariſtiam pietas: quo in genere præcelluit Alexander: ægrotabat aliquando grauiter, nondum per ætatem Euchariſtiæ beneficio potitus, cùm inuiſentem ſe confeſſarium rogauit vt à ſe quidpiam ſineret impetrari, pharmacumque concederet ſanando dolori peridoneum: cui ſacerdos, quid enim petere velis quòd à me poſſit denegari? Vellem & tuos labores ſanitatis meæ diſpendio leuare: tunc Alexander, ſacratiſſimum Chriſti corpus dulciſſimum illud epulum mihi liceat ſanitate redditâ delibare, cuius tanta me fames tenet, vt ipſo me grauiùs morbo cruciet. Petitioni cumulatè ſatisfecit pater; cumulatiùs olim in ipsâ frui-

tione satisfacturus, hac pollicitatione ita creuit Alexandri gaudium, vt depulsa quàm citissimè ægritudinis causa fuerit potissima, cúmque sacri illius conuiuij prorogaretur tempus, morbus priore grauior fuit metuendus.

Eodem accensus desiderio suam Sacerdotibus felicitatem inuidit, & remotis arbitris sacella moliri, aras struere, sacras cæremonias vsurpare non destitit. Vix audeam, imò vix velim silentio præterire, quod aliquando constat euenisse; Inuitauerat ad has sacrificij cæremonias in oratorio visendas grauem magnæque authoritatis virum, cui plurimùm ipse fidebát, cúmque singulis ex ordine peractis, sacram agni cerei effigiem hostiæ loco efferret, spectandamque proponeret, repente visus est (vt ipse spectator, qui tum aderat, testis asseruit) formosissimus puer, qui repositâ in altari cerâ euanuit, tunc enimuerò Alexander sollicitus & anxius hinc inde circumspicere, & sedulò amissum puerulum perquirere, postulato etiam ad accuratiorem

indagationem spectatoris sui auxilio. Rem subiicio ad imitandum magis obuiam; ipsis hilariorum diebus vernum ieiunium proximè præcedentibus, quibus solennis quadraginta horarum comprecatio in templis Societ. IESV habetur, obseruatus est totum illud triduum à summo mane ad vsque vesperam, flexis in templo genibus cum intuentium stupore, vel lectioni spirituali, vel meditationi impendisse: indicabat quippe alio se cibo lautiori refici, quàm quo sæculi homines tunc temporis saginantur: quibus cùm vitiatus sit palatus gustusque, omnes cœli delitiæ nauseant, animique cupediæ desipiunt: sed quò id pateat ampliùs, institutum pro sequamur; cùm è morbo, quem diximus, conualuisset, nihil habuit potius quàm suæ præsidem conscientiæ conuenire, eumque suæ promissionis vrgere: Pater, cui properare in re magnâ non placebat, collaudato eius desiderio, S. Hieronimi eâ de re verba vsurpauit (nihil præparari diligentiùs, nihil seruari mundiùs decere, quàm ani-

mam

inam futuram templum Dei, qui non tam delectatur habitaculo gemmis flauisque metallis rutilo, quàm animo impuritatis nescio, & omnibus virtutibus adornato) Nec frustrà, nam illis qui condictum cœlesti epulo tempus anteibant, diebus eius vnius memoriam animo secum voluere, palam sermone vsurpare, corpus etiam vix dum è morbo firmum flagello cruentare, & hirto cilicio afflictare, quoties templum cogitabat vel Eucharistiam, Caluariæ locum reputabat diuino cruore stillantem, conspiciebat animo anhelantem in doloribus Deum, qui in cruce; caput demitteret ad osculum, brachia extenderet ad complexum: his & id genus cogitationibus pascebat animum, donec illuxit tandem fortunata totque iam votis exoptata dies ea videlicet, quâ lustrata purificatæ virginis lux celebratur, tunc enimuero priùs summo mane quàm foras prodiret, longâ meditatione animum præparare, deinde in templo expiatis per exomologesim peccatis, tantâ cum reuerentiâ cultuque sacram

synaxim adire, videretur ad intuitum hostiæ lacrymarum imbribus manare, cùm illud suauissimum epulum delibaret, totus inundare: quibus autem cœli delitijs in diuino illo conuiuio exceptus sit, Deo vni, secreto omnis dulcedinis suauitatisque largitori compertum est. Hoc vnum scimus longè alias, longè suauiores fuisse, quàm mundi voluptates, quæ pectus nunquam implent, sed frontem remittunt, & ad gaudium fictè componunt. Fassus est Alexander tum eâ, quà pueri solent simplicitate, tum eo, quo excelluit candore, illo omni tempore quo sacra plebi synaxis à Sacerdote præbebatur, duobus se semper Angelis fuisse constipatum: quà forte ex voluptate, diebus eum dominicis cernere fuit intra aræ principis cancellos quo toto tēpore Sacerdotes faciebāt, nixum genibus pio assiduoque cultu constanter hæsisse, vt eum omnes vulgari appellatione, aræ summæ stipatorem, & sanctissimi sacramenti Aulicum nominarent. Retulit etiam eò maiori cum veritate, quò maiori cum ingenuitate,

tunc primùm cùm dominicum corpus delibauit; sibi cor bifariam diuisum, eiusque in meditullio, veluti throno Christum, amabilis pueri specie considentem, à duobus Angelis summâ cum reuerentiâ salutatum adoratumque fuisse. Addidit hanc sibi speciem ita animo infixam hæsisse, vt non posset non obuersari animó, quamuis non vocata imò repudiata nonnunquam recordatio; quoties verò recurreret, totum cœlesti gaudio liquescere; Adiungerem, si res comprobationem requireret, visos etiam ab alio quodam pietate insigni eosdem Angelos, qui Christum in Alexandri pectusculo residentem adorarent, & quod omnibus conspicuum est apertumque, vix vnquam eâ de re ab Alexandro factam esse mentionem, nisi cum aliquo ob nimiam voluptatem, vitæ periculo. Denique cùm in templo, vti diximus, multus esset & frequens, inde tamen nunquam nisi volũtate per nouum ardorem inflammatâ & pectore nouâ suauitate delibuto discedebat, vt de eo dici ritè potuerit.

(Schola illi erat ac diuersorium Dei templum, vt se dignum pararet templum, in quo Deus ipse pernox & perdius habitaret) ita Leon Iust.

Alexandri studium orationis.

CAP. XIX.

ETsi germana pietatis sanctitatisque species, quâ quis numen sibi conciliatum habet, non in seuerâ cupiditatum moderatione corporisque castigatione contineatur, hæc tamen plurima habet ad virtutem adiumenta: certum enim est mentem non posse liberè ad Deum orationis alis subuectam euolare, nisi pars illa inferior, quæ omnium parens effectrixque motuum est, vinculis ligata & cum vitijs cruci affixa, rationis nutu cohibeatur; quamdiu enim sui iuris est, nec vllius subdita dominio, cùm corporeæ concretioni permisceatur, suapte mole in terram vergit, nec sinit animum ad diuini illius sponsi amplexum sublimi volatu assurgere, vbi verò purgata mens, & à terrenis sordibus segre-

gata, ad cœlum cogitationes transtulit: tum enimuerò diuinarum rerum contemplatione mirificum illum voluptatis liquorem ebibit, quem nec ore sordid potari decet, nec vase immundo contineri. Alexander, cui tantum erat in affectiones suas imperium, rerum piarum meditationi tantâ cum libertate se totum permittebat, vt totus ad Deum procul à sensibus sæpissimè raperetur, ac ne pia contemplatio aliquando langueret, sensus omnes vigili custodiâ muniebat, vt tumultuantibus cogitationibus aditum præcluderet: hinc fiebat, vt licet multus esset in secessu, rebusque sacris animo voluendis, vix vnquam tamen mentis euagationem & errorem in precatione pateretur, vix animus peregrinaretur orantis: vidisses eum fixo in cœlum obtutu totum ex Dei cogitatione atque amore pendentem, vt crederes animam eminere foras: audiuisses cœlum inclamare eo vocis sono, qui facilè indicaret tantam vim esse copiamque superfundentis se voluptatis, quantæ capiendæ vix satis esset mor-

talitas. Assiduo autem diuinarum commentationum vsu id assequutus erat; vt earundem rerum species, quas interdum animo impresserat, eidem quoque, nocturnam capienti quietem, suauissimè recurrerent: aliquando enim per visum cœlesti potitus gemmâ videbatur; aliàs cœlestes inter spiritus abreptus, frequentissimè autem cinctus vndique innumerâ cælitum coronâ, ideoque questus est aliquando familiariter de muliere; quæ nocturnas apud ægrotantem iussa fuerat agere excubias, quasi præsentiâ illius, procul à se cœlitum exercitus fugaretur, ac nequis fidem hisce rebus omnino derogeт, & quibusdam quasi somnijs semper delusum fuisse Alexandrum somniet, asseruit non dubiæ sanctitatis fœmina vidisse se sæpiùs Alexandrum duobus Angelis stipatum, quos Deo reuelante didicit, duces illi ac propugnatores adhibitos, quò faciliùs securiúsque pulcherrimum virginei pudoris & innocentiæ florem, integrum illibatumque seruaret.

Potentes Alexandri preces.

Cap. XX.

DEscensum animæ nostræ in corpus, & quandam seiunctionem à diuinâ mente fieri dicebant Platonici, ascensum proinde moliendum ad superiora, & ad Deum redeundum esse diuino circulo, vt loquebantur, beatitudinis artifice; quod maximè piarum precationum vi atque potentiâ fieri putabant, cùm eâ ratione factæ leuiores, & cœlestibus instructæ pennis, ad infiniti boni communionem accederent; vnde D. Dionysius orationem vocat πολυφώτοι σειρὰν fulgentem catenam, quâ cuique licet ad diuinum solium conscendere. Alexander pro alijs preces libentissimè fundebat, ratus quò quis in socios liberalior fuerit atque largior, hoc benigniorem propensioremue ei occurrere solitam misericordiam Dei, nullis sæpè votis pro se euocatam: Nouerat hoc Alexandri studium sanctissima, de quâ superiùs, Dei famula, quæ aliquando,

quæso te, inquit, ó Alexander, cœli Reginam deprecare, vt si diuinæ ita placeat voluntati, suis ipsa precibus mihi impetret, vel perfectam ab occulto malignoque corporis affectu sanitatem, vel inuictam patientiam, quâ dolores cum fructu perferam, morbi genere & nomine studiosissimè celato: ille, quod fuerat rogatus, liberaliter spopondit, liberaliusque præstitit: nam vix orto sequentis diei sole, ægram conueniens, petitas à se preces fusas dixit. Sed interea monuit, siquidem ipsa perfectè famulari Deo, eidemque vnicè placere gestiret, certò sibi persuaderet, aliquibus se semper ærumnis afflictandam. Nec vnquam, quod pateretur, defuturum, atque ita proprio vocabulo occultum morbum, quem tam studiosè mulier celauerat, appellauit: ad quam vocem stupente muliere, quid miraris, inquit, de rei veritate dubitas? Hoc scias velim non temerè dictum; speciosissima namque Virgo, hac mihi nocte conspiciendam se præbuit &, quod rei erat, declarauit: sed caue ne longiùs ad aliorum

aures id emanet, reliqua sileo breuitatis causâ, quæ potentes Alexandri preces arguant: nihil autem à Deo extorquebat, sed omnia quæ vellet, primâ rogatione impetrabat.

Alexandri in precando consuetudo.

CAP. XXI.

RArum est viris improbis & desidiosis experimentum oratio, quippe languidis liquefacti voluptatibus sic se in rerum inanium curam effundunt, vt cœlestium illos capiat obliuio: at contra optimi quique liquidissimam hoc in exercitio percipiunt voluptatem. ad quorum mentes vitio liberas bonus Deus, vt in secretum beneuolentiæ suæ domicilium diuertit. Erat Alexander ita orationi rerumque Piarum commentationi deditus, vt vbique animum in diuinis meditandis exerceret, nullaque totius domus pars ab eius precibus vacaret; sic vt eum loqui crederes angulis meliùs dicerem Angelis. Non raro in illam sanctissimam domum itabant è socie-

tate à Patres, qui quæsitum, cùm nusquam ferme compareret, Alexandrum in secretiore domus conclaui orantem semper repererunt: Addebat Violantia, & id quidem sine vllâ materni affectus deceptione, visum sibi fuisse filium in oratione vt Angelum, totum cœlesti splendore radiantem: tantus videlicet erat animi decor, vt foras erumperet, & corporis natiuam venustatem superadditâ pulchritudine illustraret; & id quidem maximè matutinâ serotinâque oratione, vbi vacuam ab inanibus rebus ac securam ab omni interpellantis metu opportunitatem reperiebat. Hinc felix illa cum Deo similitudo & mutua in numen veluti transfusio: quemadmodum enim magnes ex Porphyrio velut quandam animam insinuat ferro, sic vt naturâ suâ grauissimum, fiat leue, & spiritu illo magnetis in sublime feratur, sic Deus gratiæ suæ vim in precantem inspirat & suauissimè iuxta & potentissimè ad virtutum suarum communionem at-

tollit inaudito supra naturam ascensu: dici autem vix potest quàm exiguâ de causâ nonnumquam exardesceret Alexander, quàm subitò pietatis ardorem veluti iam præparata materia, minimâ ex scintillâ conciperet. Si cœnabat, cogitabat quàm felix esset diuorum mensæ accumbere: si cantu plateæ perstreperent, ad cœlestem musicam animum adijciebat: alijs terram alterno pede concutientibus, ipse cœlos rectiùs obibat; quæ pietatis vicissitudo ex rerum occurrentium varietate nata, gustum in eo quendam auiditatemque velut in epulis renouabat, sic vt nunquam ex vsu, nunquam impellente consuetudine ad contemplationem, quod plerique parum cogitatè consideratéque faciunt, sed quotidie nouus recensque accederet. Denique quâ alij cum difficultate mentem in numine defigunt, eâ cum ægritudine, ab eo ipse auocabat. Sed cor diuinæ illius flammæ illustrationibus correptum tam feruenti

palpitantique motu subsiliebat atque emicabat in pectus, vt sæpe erumpere velle, carcerisque diuturniores moras ferre non posse videretur.

Alexander suam præscit, prædicitque mortem.

Cap. XXII.

QVa est cuique suprema dies, definita annorum mensura, temporumque descriptio, quam nemo contrahat vel tantillùm, nemo vel momento prætergrediatur. Alexander exacto ætatis anno decimo quarto, iam octauum mensem sequentis anni attigerat, cùm eminentem proximè mortem præscire se ac præsentire suspicionem fecit, & insolitam gestientis animi lætitiam præ se tulit; Eheu! quàm multos adolescentes videas, cùm in grauem periculosamque ægrotationem inciderunt, ipsius mortis colore ante mortem expallescere & turbari vehementiùs, cùm mox timent id futurum, quod futurum aliquando ne per somnium quidem cogitauerant: quibus

quibus verè dici potest, quod de bellicâ scientiâ Cassiodorus (ars bellandi, si non præluditur, cùm necessaria fuerit non habetur). Mortem licet immaturam, non imparatus tamen Alexander expectabat, sed venientem ad se longâ gratulatione prosequutus suauiter inuitauit, manumque Dei veluti se punientis est deosculatus. Agebatur annus à partu sacratissimæ virginis millesimus sexcentesimus octauus, & illuxerat altera post paschalem solemnitatem dies, quâ volente Deo, Alexander vltimam operibus manum addidit, vitamque singularis obedientiæ coronide obsignauit. Dederat ei mater in mandatis, vt religiosum quendam virum suo nomine inuiseret salutaretque: sed enim, quamuis nusquam aliàs vel minimi immemor mandati, nescio quî factum est, vt per memoriæ peccatum materno defuerit præcepto. Quamobrem rogatus à matre, num quod imperauerat, præstitisset; suam maluit ingenuè fateri obliuionem, quàm turpi negatione, matris increpationem deprecari, ideoque

pœnitentiæ loco iussus est toto pomeridiano tempore in templo Societatis IESV sessitare, etiam Collegij aditu exclusus. Fuit hoc pœnæ genus aliquantò maius, quàm fortè non nemo possit æstimare, nec enim ei acceptius euenit quidpiam, quàm Collegium ingredi, & veluti se domesticum profiteri. Perbreui interiecto tempore reperit eum famula in superiore domus contignatione sub ioue sudo consistentem, arrectoque obtutu cum insolitâ voluptate sydera contemplantem, cui illa, quid rerum mi Alexander? mox scies, reponit continuò. cùm morte sublatus fuero, & exinde se beatis cælitibus breui annumerandum non semel & iterum pronuntiauit. Addidit & illud non infrequenter viro, cui sua concredebat arcana, Romam me mater destinat meãque profectionem adornat, sed fallitur opinione suâ. nam me cœlites præstolantur; & quasi de recipiendo certus pignore, ô quanta, inquiebat, venustas Angelorum. Malim ego præoccupare dicendo, quod in morte con-

tigit, quàm aliquid, quod ad rem præſentem faciat, prætermittere. In vltimo mortis agone cùm alij ex alijs patres morituro adeſſent, ſacrum donū facturus aliquis, rogaſti me, inquit, Alexander, tibi vt morienti ad ſim, ſed ecce domum ad altare euocor, pollicere te non moriturum, donec reuertar: cui Alexander, etſi extremo eum agone conflictari plerique crederent, perge, inquit ſecurè, non enim moriar priuſquam feceris. Neque hoc temerè dictum aut leuiter fuit cùm enim ſacerdos alter ſimili vſus eſſet poſtulatione, vade inquit, mi pater, ſed non tempeſtiuè rediturus, vtriuſque dicti veritatem euentus comprobauit. Fidem quoque non leuem præſcitæ mortis facit, quod cùm in illo agone de horâ diei ſæpiùs ſtudioſè inquireret, ſciſcitanti tam ſollicitæ interrogationis cauſam, reſpondit, ſufficit ſubeſſe cauſam, atque hanc eſſe mihi cognitam.

Lethalis Alexandri infirmitas.

CAP. XXIII.

INſcitia omnium miſerrima eſt, neſcire mori, & vltimo momento velle diſcere, quod totâ vitâ condiſcendum eſſet. Edoctus fuerat Alexander bene viuendo, meliùs mori. Itaque ipſo diei iouis veſpere, quæ fuit reſurrectionis Chriſti proxima, in mensâ matrem inter & cognatum medius, ſtomacho cibos temperatiſſimè ingeſtos reſpuente, magnam vim ſanguinis euomuit. Imo cùm ex fractâ venâ maior adhuc copia ad imam ſtomachi ſentinam ſubſediſſet, exanguem pro depoſito relinquunt medici, nihil ſuæ arti, nihil ægrotantis ætati confidentes, ſed inſolitum corporis æſtum accuſantes, cui ſanando vel nullum, vel valde infirmum remedium poſſet reperiri. Et certè cùm nulla ſubeſſet cauſa immoderati illius æſtus, pleriſque non alius viſus eſt, quàm amoris morbus à cœleſtibus illis flammis, quibus continuò arderet,

conceptus hoc etiam aliјs contigisse liquet. Quemadmodum & sanctitate nobilem virum in Cacciagura legimus ita diuini amoris flammâ succensum vt quamuis plurimi plenas frigidâ situlas affunderent, eius tamen æstum non temperarent, ne dum restinguerent, adeoque cùm terre diutius incendium non posset, hisce flammis quodammodo liquefactus occubuit. Simile quidpiam Beato Stanislao Koska Societatis IESV tyroni constat euenisse, qui diuinæ identidem charitatis ardore succensus etiam pannis frigidâ madefactis vix potuit refrigerari. Sed nostrum ægrum inuisamus cum medicis: vicerat iam artem medicorum morbus omni remedio maior, nihilque medicis melioris occurrit consilij, quàm vt vim naturæ sibimet opitulantis expectarent. Nec inani plane euentu, nam eiusdem hebdomadis feria sextâ sopito sanguinis fluxu tantũ virium collegit, vt omnino sibi restitutus videretur, vnde velut integrè valentem & extra vitæ aleam positum, pharmacis vltra communire

desierunt. Sed vix duo effluxerant dies, cùm iterum tantam misit sanguinis copiam, vt iam facilè intelligeret quiuis morbum esse periculosum, alij non dubitanter assererent esse lethalem & supremum. Mox itaque patrem suarum cognitorem confessionum vocat, apud quem suam primùm in Diuino cultu tarditatem accusat, nimirum segnis sibi semper & cessator videbatur; deindè peccata magno cum pœnitudinis sensu cœpit deponere, in fibris animæ perscrutandis aperiendisque totus insistere, quamlibet actionem studiosè excutere, & leuissimos si qui per imprudentiam incauto exciderant, næuulos (nulla enim lethiferâ labe pollutum constat) tantâ cum sui despicientiâ tantisque cum lacrymis deflere, quasi mortalium omnium turpissimos, scelerum multitudine & grauitate superasset, altiora nempe quàm rudis & è vulgo quispiam de diuinæ maiestatis amplitudine & iustitiâ sapiebat. Postquàm verò certior fama vulgauit Alexandrum lethali fractum morbo decumbere, factus est ordinum

omnium turmatim confluentium ad ægrum inuisendum concursus, cum quibus colloquium miſcuit de rebus ad mortem feliciter obeundam facientibus; toto autem vitæ tempore & vltimo præſertim termino tantam animi taanquillitatem præ ſe ferebat, vt multi ſimili mortis genere vel eâdem ipſa horâ defungi cupiſſent.

Accuratior ad vicinam mortem præparatio.

Cap. XXIIII.

QVemadmodum Alexander huc vſque totus in hoc fuit vt ſanctè viueret; ita totus in hoc fuit, vt ſanctè, & cum patientiæ laude moreretur, & feliciſſimâ metâ ſanctiſſimum vitæ curſum terminaret. Inuiſenti ſe amico, & mortis immaturæ crudelitatem accuſanti reſpondit, nullo ſe diuturnioris vitæ deſiderio teneri, hoc vno duntaxat grauiùs quàm vlla

ægritudine torqueri, quòd maiorum tormentorum pro Christo ferendorum sibi deesset occasio. Eidem haustum ad sedandam sitim offerenti, nonne, inquit, rectiùs fecero, si sitim patientiâ vicero; & toto ægritudinis tempore vnum hoc ad omnes dolores solatium postulauit, vt cùm irritum de ingrediendâ societate consilium morte præuerti cerneret, suo saltem liceret post mortem cadaueri in eiusdem societatis templo conquiescere. Interea morbo ingrauescente visum est amicis quibusdam verborum flexu & circuitione vicinæ mortis nuncium insinuandum, quo fortissimi quique concutiuntur. Sed ille, id, quod erat, subodoratus, nihilo plus commotus est, quàm si peregrinationem adornaret, vel etiam breuem ab æde in hortum migrationem, nihil sollicitus quid Deus ex sua maiori gloriâ decerneret, imò supremam mortalitatis necessitatem, quam reliquum vulgus consternatum expauescit, vt laborum finem intuitus, vitæ suæ terminum non magis, quàm solis quotidianum

occasum horruit. Denique pulchram sibi videri mortem asseruit; nisi quod accideret incruenta, & se amaret in molli lectulo ignauè expectari. Detersis igitur denuò per pœnitudinis sacramentum peccatis, sacro-sancto Eucharistiæ viatico, communitus est, præmissis & subsequentibus tot lacrymis, vt nec statas preces, nec solitam confessionis formulam, cuius initium est, Confiteor, interceptâ suspirijs linguâ potuerit recitare, exclusit verò omnem aliam cogitationem, vt quàm cultissimo paratissimoque cordis habitaculo cœli dominum receptaret, dictitans videri sibi concessam à Deo tantillam vitæ morulam, vt spiritalibus illam lucris aggerendis impenderet. Sed vt liberiùs pijs affectibus indulgere posset, totumque animum in Deum hospitem effundere, spatium aliquod ad quietem poposcit: at non eam subintelligebat quietem, quam plerique de sopore interpretabantur. Quid verò sine arbitris solus egerit, ex ijs, quæ sunt subsequuta, licebit coniecturam facere; Interim tantùm

abest, vt morbus, quantuscumque fuerit, animi retardauerit impetum grandia molientis, aut ipsa infregerit atque hebetauerit incrementa virtutis, vt potiùs in fine celeriùs alacriúsque properarit.

Mirabiles à beatorum aspectu consolationes.

Cap. XXV.

SVbeuntem conclaue matrem rogauit Alexander, sibi vt quidpiam de libro spirituali prælegendum curaret, quæ dum hoc supremum maternæ pietatis obsequium officiosè deferret, ô admirabilem diuinorum vim solatiorum! visus est Alexander velut Ectasim passus, & à sensibus alienus. Hîc mater respectare admirabunda, & prehensâ manu, quid rerum, interrogare: Sed Deus cœlestibus ita deliciis illustrationibusque pectus permulcebat, suique copiam tantam faciebat, vt non mediocris illi

fuerit negotij, sensus corporeos ad suas partes fungendas obeundasque conuertere, mens quippe in cœlum rapta, nec oculis nec auribus vacabat; aliquantò post sibi suisque sensibus redditus, matremque se inclamantem benignis oculis conspicatus, breuiter respondit (tempus enim Deo impendendum, respondendi celeritate redimebat) cœlum ingressus mihi videor, & maiestatem Dei sacratissimæque parentis cum totâ cælitum coronâ contemplatus, qui me benigno omnes obtutu respexerunt, rogantique matri qualis esset suprema illa beatorum statio, festinanter reposuit, ó quanta est illic venustas! quàm felix æternitas! quàm æterna felicitas! nec plura loquutus has sibi interrogationes minùs arridere ostendit, quippe rebus diuinis perfruendis intentus, non vacabat aperiendis declarandisque. Interea cùm periculosa morbus cepit incrementa, Societ. IESV Sacerdotem acciri iussit, quem dum præstolatur, ecce tibi altissimà rerum cœlestium contemplatione defixus, tantus inundatur

cœlitùs gaudijs, vt languenti vocē succlamaret, non videtis? non cernitis? Ecce Deiparam Mariam dilectissimam mihi matrem, ecce fidelissimum Angelum custodem, ecce sororem Mariam Magdalenam (hæc non ita pridem cum opinione sanctitatis diem obierat) mox veluti ad Deiparam conuersus, siquidem me in cœtum Parthenium, tuo dicatum nomini, ascribi voluisti, tuâ nunc me veste regiâ protege, & quasi vellet in pios reginæ præsentis amplexus ruere, brachiola extendit, & postmodum eadem, in formam crucis laxata reposuit: inde Christi è cruce pendentis effigiem amplexus & exosculatus: O mi IESV, sis mihi IESVS, veniam oro pro meis delictis, gratias habeo pro tuis beneficijs, quæ tanta fuerunt ex vtraque parte, vt me mori cogant ingratum. Subiunxitque (quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus) moxque exclamauit (cupio dissolui & esse cum Christo). Sed vt lætis Deus tristia solet admiscere, ne constanti rerum

prosperarum cursu insolescamus, ecce conspiciendum se dedit Diabolus, vultu planè lurido horridoque, & magnis conatibus hoc sibi agere sumpsit, vt pia & vltima interturbaret exercitia: æger conscientiæ suæ securitate recreatus, stygiamque affatus belluam, abscede, inquit, informe monstrum, perdite tenebrio, nihil in me iuris obtines; Ego Dei gratiâ protegor, & contra imbelles hostium assultus mentis testimonio confirmor.

Eiusdem argumenti continuatio.

CAP. XXVI.

OCcubuerat cum suo sole dies, sextæ feriæ dominicæ passionis veneratione sacra, iamquo nox concubia appetebat, cùm Alexander à sensibus iterum alienus, visus est labentem cœlo sacratissimam Virginem conspicari, cui debitam assurgendo detulit reuerentiam; res vel ex eo admirabilitatem habet, quòd totus ex morbi diuturnitate fractus, se in cubitum potuerit erigere, suoque lectulo

considere. Hoc situ fixis in cœlum oculis, diu sine vllâ doloris notâ quietissimus hæsit, donec derepente bis exclamauit, ibimus in cœlum, in cœlum ibimus; & dicenti, Fili mi, ita, fili mi, in cœlum proficiscere, subiunxit, ita, mi pater, in cœlum ibimus. Hæc inter miracula non dubiè declarauit mater, quàm volens libensque filium, quem ad tempus acceperat, Deo vero parenti redderet, Beatissimæ enim Virginis effigiem filio porrexit, hæc verba vsurpans, ecce mater tua: Alexander verò lacrymabundus, passis vlnis donum excepit, suoque ita appressit ori, vt partim lacrymis partimque madentibus labris, denique & oculis & osculis totam imaginem consumpserit. Non retexo quæ superiùs attigi, cùm de Beatissimæ Virginis amore in Alexandrum sermo fuit, duobus ante mortem diebus multos Angelos Alexandri conclaue subiuisse, quorum vni sacratissima Deipara floream coronam dedit, Alexandri morientis capiti, ob virginitatis florem conseruatum, imponendam. Vos verò, Ado-

lescentes Christiani, cœlum sæpiùs cum Alexandro inclamate, & dicite: ibimus in cœlum, in cœlum ibimus, ille metam attigit, quia in cœlum, amplum patentemque locum collineauit, vos quia in terram pusillum exiguumque scopum vel potiùs scopulum, oculos arcumque intenditis, toto cœlo aberratis.

Alexander cognato suo valedicit.

CAP. XXVII.

ADuentantibus, quos accerserat, Societatis IESV Patribus, mirâ Alexander gestiens lætitiâ, hanc ob causam potissimum vocatos dixit, vt in supremo se agone luctantem iuuarent, statasque, quibus profectura de suo corpore anima comitari solet, preces funderent, interim animum rursus per exhomologesim expiat, medicumque non procul consistentem rogat, sibi vt seriò edicat, quando mors proximè aduentaret. Velle namque se sacramentis omnibus quantâ maximâ pos-

posset pietate tempestiuè communiri; hanc animi constantiam, & in supremâ luctâ tranquillitatem admiratus medicus, multis post annis coram magnis Hetruriæ ducibus non semel prædicauit. Verùm etsi summis esset in angoribus, non potuit Alexander sui Ephestionis obliuisci: erat ei cognatus coæuus Andreas nomine, quicum arctissima intercesserat necessitudo, ex consanguinitate primùm nata, deinde mutuis officijs virtutumque communicatione corroborata: Hunc ad se propiùs prehensâ manu iubet accedere, & in mutuum ruens amplexum ósculumque, ego te, inquit, per amicitiam nostram óro atque obtestor, vt quidquid amoris & beneuolentiæ mihi solitus es impertiri, id totum solus superstes, Deo huius amoris digno hæredi sine diuisione impendas, nihil tibi potius esse velis Dei charitate & timore, cætera caduca esse, fluxa, & nulla. Alexãdri tui exemplum docet, allectant quidem, fater, fortunæ bona, oblectant etiam, non diffiteor, sed instar Sirenum dum mulcent suauiter, mactant

immaniter;

immaniter : dum nostris blandè auribus accinunt , crudeliter occidunt: spinæ sunt quas dum premimus, pungimur : cogita certissimæ mortis incertitudinem , & vitæ perbreues delicias pœnarum æternitate expiandas. Hæc ferme, atque id genus, ne memoriâ exciderent , scripto Andreas excepit: sed , vt verius dicam, maius aliquantò lacrymarum, quàm verborum colloquium fuit.

Alexander ad supremam mortis luctam oleo sacro inungitur.

CAP. XXVIII.

INualescente morbo , & viribus paulatim defluentibus , operæ pretium fuit Christiano ritu ægrum oleo sacro inungere, vt victum sæpius antea humani generis hostem decretorio veluti ictu frangeret. Igitur animo per exhomologesim rursus expiato, quantâ potuit voce affectuque ad omnia per se ipse respondit , & preces à Sacerdote præunte inchoatas conclusit : deinde perunctus , tot amoris

actibus erga Deum ſacratiſſimamque Virginem totus inardeſcere, vt non ſignum modò ſacramenti; Sed rem virtutemque liberaliter ſibi fuiſſe communicatam, non obſcurè iudicaret: quin etiam pro ſacramenti miraculo reputatum eſt, quòd totus ex diuturnâ morbi grauitate fractus & debilitatus, inter tot pios amoris actus vitã potuerit tam diu protrahere. Fuſis ita precibus, ad circunſtantes conuerſus ſe grauiter ferre oſtendit, quod quibus obſtringeretur maximè, vt vixerat ingratus ſic ingratus occũberet; rogauitq; vt ſe ſuis precibus adiuuarẽt. Inde præſentium nomina numerumq; perconctatus cùm reſcijſſet, adiunxit eos reciprocam à ſe, ſimul ac diuinũ fuiſſet ad conſpectum admiſſus, vicẽ recepturos. His dictis ſitu corporis immutato diu ſilentium quietè tenuit, &, ſi viri ſancti reuelationi fides ſit, Auguſt. Deiparæ intuitu cælitumq; plurimorũ cõſpectu mirificè eſt recreatus. Aliquantò verò poſt cùm deliquium animi paſſus videretur, adfuit repentè, qui generoſi vini guttas infunderet, verboque hæc

consolationis simul instillaret felix es, ô mi Alexander, qui proximè portum teneas, vbi multò generosiore viuo, quàm nostra tellus educet, totus inebriabere.

Non solet sine certamine vita terminari, nec potest victoria obtineri: rursus igitur visi sunt importuni dæmones fœdo horrendoque aspectu, salutis desperationē moliri, sed imbelli ictu irritoq; conatu: lusit enim iuuenis tyro veteratorē Diabolum, stygias laruas cum suis terriculamentis longè iussit facessere, moxque piaculari aquâ totum lustrari cubiculum. Hac in luctâ suspicatus non nemo est, eum è mentis potestate fuisse deiectum; sed facies humanâ tunc augustior, diuinis veluti radijs collustrata, & quæ eodem actus spiritu postea præstitit, sui potentem arguunt: erant enim ad eius caput disiecta potiùs, quàm disposita varia S. Sanctorū corporum lipsana, quæ cùm suis eduxisset thecis, eisdem postmodū cum veneratione reposuit. Cæterùm quò morti propior, eò lætior videbatur, sibi quodammodo de infirmitate

gratulatis, quod acerbos Christi patientis cruciatus meliùs exprimeret æger, quàm sanus. Et licet ægritudo latentis animi motus apertiùs prefe-rat, suæ tamen semper patientiæ constitit, ipsis namque duodecim horis mortem proximè præcedentibus in dexterum latus iucumbens iacuit, situ planè constanter immutato, nisi quod identidem læuam erigens, eamdem postea in lectum placidissimè demitteret.

Alexandri obitus.

CAP. XXIX.

ROgatus Antistenes quid in vitâ esset felicissimum, mortem felicem respondit; & verò vt cursoribus in Circo nihil prodesset superatis iam senis spatijs ad calcem vltimam proximè accedere, si demum extremo in stadio incautè metis allideren t, aut vltra longiùs euagarentur; ita parum expetibilem toto vitæ flexu operam virtuti nauauerit quispiam, si metæ vicinus palmæque proximus, à pieta-

tis spatio cursuque deflectat, quod vnum lauream & immortalitatis coronam cursoribus elargitur. In Alexandro, vitæ sanctæ sanctiorem terminum contemplemur. Quid te subducis, calame, quid restitas? chartæ istius candorē mortis nigredine times inficere? Perge, mors ista nihil habet acerbitatis. plus habet amoris quàm horroris: lentè mors hactenus quasi timida adrepserat, vt Alexandri nostri victorias diutiùs produceret, neque enim vllum ægritudinis spatium pietatis operibus vacauit; Sed iam propiùs accedente fato, cùm vitalis calor colorque defluxisset omnis, ægro suspirans anhelitu & ad effusam hominum coronam semineces oculos circunferens, extremùm astantes salutare videbatur: vt intelligeres illum non emori, sed emigrare: amicos mutare, non relinquere: denique florem nostrum non marcescere, sed solum, viridariumque vertere. Hinc certè gratulari sibi terrá potuit, quòd flores habeat, quos in sua transferre rosaria superi ambiant; Inde verò non potuit non videri luctuosum

eo ipso veris tempore, quo sese hortorum pandit exeritque dignitas, flosculum hunc plusquam pœstanis dignum rosetis intempestiuâ mortis falce demeti. Interea felicissima anima abruptis corporeæ concretionis vinculis inter pluriniorum comprecautium lacrymas & gaudium, in cœlum placidissimè euolat, cùm sub crepusculum vespertinum ære campano signum daretur ad sacratissimam Deiparam ex more consalutandam: anno à Christi natali 1608. 10. Kalend. Maij, cum annum ætatis decimum quartum, octo mensibus superasset, expirasse filium prima omnium mater animaduertit, mirâque gestiens lætitiâ, quòd thesaurum tutissimo reposuisset loco, ad agendas secum Deo gratias comiter astantes inuitauit: quin & ipsa voce præiuit & solennem Ecclesiæ hymnum, cuius initium est (Te Deum laudamus) inchoauit, lesso in epinicium mutato. Id ipsum ab antiquis legimus factitatum, qui in funeribus eorum, quos virtus commendabat, indicem lætitiæ vocem, Alleluia, canta-

bant: quod in Fabiolæ iustis peractum D. Hieronymus prodit. Sic plenus virtutum potiùs, quàm annorum, mortalis in terris Angelus, spe potiundæ beatitudinis, imò, si quæ in terris est, certitudine lætus mortem obijt, ipsis rosis quibus coronatus est dulciorem: sic abijt in cœlum, non aberraturus, qui tot itineris duces inuenit Angelos. Sic ephebum inuidit Deus & adolescentem superis iuxtà & hominibus charissimum, in suam traducere aulam rex summus appetijt. Sic deniq; cùm vixisset longè sanctiùs, quàm licuit describere, sanctè demortuus est, quem æternũ viuere decuisset, nisi omne quod ortum habet, mortalitas cõsequeretur. Et vtique tam sanctæ religiosæq; vitæ breuitas, posteriorum studia defraudauit ad quos multò auctior locupletiorq; virtutum seges peruenire potuisset. Si enim inchoatæ vitẽ initiũ, & primũ veluti virtutis germen, appellente ætatis vere tantâ sevbertate profudit, quãtâ tandẽ accessione & copiâ, adiuncta diuturnitas in vitæ autamno exuberasset in cumulum; at eâ

Epi. 30.

nos consolatione recreamus, quòd vnæ reperiantur æstatis veluti inimicæ, quæ ante tempus ad maturitatem præcoquuntur, & precocem suo satori vindemiam præbent.

Heroicas Alexandri victorias & virtutes multorum poëmata prædicarunt, epigrammata subtiliter laudarunt, elegiæ luxerunt, multi denique calami, multæ linguæ in adolescentis virtutes, & Parcarum inuidiam laborarunt. Ad extremum, defuncti cognatus prodijt orator è suggestu ad frequentissimam coronam, cúmque eleganti oratione concionatus, lacrymas ipse prior misisset, ab auditoribus haud ægrè expressit.

Alexandri exequiæ.
Cap. XXX.

DEfuncto Alexandro antequam legitimè curaretur funus, corpus adornatum in conclaui secretiori, pro more gentis ad diem posteram asseruatum est; porrò tantus fuit ætatum omnium ordinumque concursus, vt quamuis

quamuis peramplus locus multos admitteret, plures tamen excluderet. Domus in quâ obijt Alexander sita est eo loci, quem vocant castellum, in plateâ seruorum: quò hominum quanta multitudo confluxerit, vel otioso longum sit recensere, longiùs ad alia properanti: tota illa via, quâ sacrum pignus delatum est, primò ad virginis Annunciatæ, deinde ad basilicam sancti Marci, denique ad templum vsque societatis IESV, tantâ multitudine feruebat, vt verè tunc non nemo dixerit, hanc populi frequentiam eâ non esse inferiorem, quâ sancti Antonini Florentini Archiepiscopi corpus paucis ante annis fuerat translatum. Porrò Dominicanæ familiæ religiosi, qui sanctum Marcum incolunt, cùm ad prosequendum funus fuissent inuitati, Adolescentis sancti, sic enim loquebantur, exequias propensissimo animo cohonestarunt: simul verò ac sacrum corpus templo Societ. IESV illatum est; quiuis esse feretro proximus contendit, eius manus exosculari; flosculos, quibus erat tectus, sanctè furari

M

& ita auidè surripere, vt necesse fuerit alios ex alijs corporis attactu sacrandos apponere. Verùm vbi populi turmatim concurrentis cum die creuit multitudo, augendamque vel in multas noctis horas non imprudenter aliqui coniicerent, sacrum pignus per vim amicam populo extortum, prope aram principem deposuerunt. Sed huc quoque perrupit importunæ multitudinis impetus. Quare, vt maxima cuique opportunitas contigerat, ita studiosissimè pro desiderio sacrum feretrum deprædari, hic impositam capiti corollam detrahere, ille pendulas è thorace manicas rescindere, alius collare disrumpere, alius lascinias vestis lacerare, quidam pilos, plures vnguium præsegmina postulare, aliud alius, quodquisque valuit, spolium aufferre. Et vltra progressuri videbantur, nisi, qui astabant custodes, violentum plebis ardorem veriti, sacrum corpus in sacrarium obducto pessulo recepissent, tunc enimuerò suis quisque actibus liberiùs indulgere, Angelum nominare,

simile sibi mortis genus optare, dictitantes preces potiùs ad eum, quàm pro eo fundendas, & mortalium supplicationibus non tam esse iuuandum, quàm venerandum: quibus, vti dixi, peractis, verè asserere possumus, corpus tanto cum plausu honorificè elatum, triumphi potiùs speciem, quâm funeris habuisse: quod nominare quis potest πομπὴν θείαν diuinam pompam, vt de funere Meletij dixit Gregorius Nazianz. *Car. de vita*

Alexandri corpus post mortem prodigiosâ pulchritudine formosum, dum in templum Societ. I E S V *infertur, & reliqua exequiarum miracula.*

C A P. X X X I.

INfecerat tanto squallore Alexandri faciem mors informis, longâ morbi diuturnitate vocata, vt quibus fuerat, dum viueret, notissimus; iam mortuus nihil retineret, vnde agnosceretur. Nihilominus tamen vt

primùm corpus exanime à Patribus Societ. I E S V delatum, Collegij limen contigit, tota subitò facies refloruit pristinæ venustati restituta, vt nihil à morte iniuriæ accepisse videretur; sed viuere adhuc & spirare. Quæ oris pulchritudo eò vsque constanter perseuerauit; donec pictor ob rei nouitatem accitus, faciem eâ cum venustate depicturus aduentaret, qui simul adfuit, sepulchralis ille pallor, quo priùs squallebat, toto vultu rediijt. Indicabat nempe mortuus, quod viuus conceperat ingrediendæ Societatis desiderium, & quibus viuus coniungi non potuit vitæ Societate, his coniungi moriens gaudebat sepulchro: sed vultus & oris rediuiui dignitas ad priorem recidit deformitatem, mortalemque manum dedignata refugit, quia non decebat cœlestem illam pulchritudinem penicillo depingi humano, quæ supra naturæ vim modumque pictorem Deum habuerat. Neque hic sistunt exequiarum miracula; non enim mortales, vt pote tanto muneri impares, exequias soli cohonestarunt;

funus cœlum curauit, neque puduit Angelos in officij partem venire. Visi sunt Angeli in aditu Collegij funus prosequi, & toto recitati defunctorum officij tempore, constanter in templo persistere: ex quo intelligas sacros illos artus, ob pudoris Angelici integritatem fuisse digniores, qui argenteà clausi thecâ, vt thesaurus, asseruarentur, quàm vt lurido abiecti luto terrâque obruerentur. Sed ex laudatissimo more Ecclesiæ, cùm Alexander non sit in sanctorum syllabum canonicè relatus, eius corpus loculo abiegno conclusum in templo Societat. IESV ad sacellum sancti Hieronymi repositum est: Verumtamen tantam suarum fragrantiam virtutum reliquit, vt sanctitatis opinione & famâ, noua quotidie accipiente incrementa, à cunctis beatus sanctusque vocitetur: & verò post aliquot annos cùm multis eius sanctitatem miraculis Deus illustraret, visum est Collegij Rectori, qui hanc potissimum retulit vitæ miraculorumque historiam, Illustrissimum Reuerendissimumque Florentiæ

Archiepiscopum eâde re consuleret qui multorum, quot ipse firmauerat publicâ authoritate, miraculorum memor, Alexandrumque sancti nomine dignatus, iussit vt sacrum corpus veteri eductum Sarcophago, in sancti Hieronymi sacello ad læuam honorificè collocaretur, sed aucto in dies miraculorum numero, ad læuam aræ principis translatum, ornatiore iacet tumulo, marmoreo epitaphio cum hac Epigraphe.

A. M. D. G.

ALexandro Bertio, matre Medicæa, adolescentulo Deiparæ percharo, tenellulo virginitatis Flosculo nunquam languenti, cœlitibus amabilissimo: modestiâ vitæ, morumque integritate hominibus ad-

mirabilissimo, pietate ac religione in Deum ætatem superanti, Societas IESV suo candidatulo posuit.

Vitâ functus est.

Anno Domini millesimo sexcentesimo octauo, die vigesimo secundo Aprilis, Sub occasum solis; ætatis verò suæ anno decimo quinto nondum expleto.

Alexandri corpus humidissimo loco reconditum, elapso post anno integrum, suauissiméque fragrans repertum est.

Cap. XXXII.

Expoſita à nobis eſt hactenus Alexandri vita, à quâ ſumere quiſque ad imitandum poſſit, quod ſibi conueniat maximè. Nihil hic ſcripſi niſi comprobatiſſimum, vt pote quod ipſa Violantia Alexandri mater propriâ manu, eiuſdemque confeſſarius ſcripſerunt, miſſis, quæ in Italia venales circunferuntur Alexandri imaginibus: de Alexandro libellus, qui Sodalis inſcribitur, mentionem facit. Sed vt hiſtoriæ curſum perſequamur, non fuit ſepulta cum corpore Alexandri memoria, etſi cum eo extincta multarum virtutum exempla lugeamus: eum in cœlo beatiorem vitam viuere fidem faciunt plurima poſt mortem patrata miracula, quorum ne memoria excideret, viſum eſt Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Ale-

xandro Martio Medicæo Florentino Archiepiscopo publicà etiam Archigrammatei authoritate adnotare, & ad posteros propagare.

Primum, quantum quidem publicè constat, vertente anno fuit; multis nempe postulantibus refossa sunt Alexandri ossa, reclususque tumulus, ex quo mirabilis planè odoris fragrantia cum omnium stupore & gaudio exhalauit, corpusque humidissimo licet iaceret loco, integrum tamen & à contagione liberum apparuit, etsi nullâ re aduersus tabem, conditum fuisset & illitum. Alexander ille Macedo toto corpore suauissimum odorem spirasse fertur; longè maior est atque admirabilior noster Alexander, qui etiam extinctus, mirâ astantes fragrãtiâ perfundat. Verè dixit Seneca, nihil inter diuitum egentumque cineres interesse, nisi quod illi grauius fœteant, veriùs dixerim inter sanctorum cineres & impiorum magnum hoc inesse discrimen, quòd illi suauissimum virtutis & cœli odorem emittant.

Alexander post obitum Thaumaturgus.

Cap. XXXIII.

ALexandrum adolescentem integerrimum quantâ amoris dulcedine amator hominum Deus dilexerit, testis est infinitus miraculorum numerus; pauca ex multis, quæ mortem proximè sequuta sunt, delibabo; eaque certissima, nequis esset dubitandi locus, dubitationem abstulit, Reuerendissimi & Illustrissimi Archiepiscopi comprobatio.

Fœmina quædam primaria, erga Alexandrum maximè pia, tam acri podagrâ laborabat, vt neque incedere, neque pedibus niti posset, hæc de nocte semel solito grauiùs agitata, vocem audijt ita monentem, cur ad Alexandrum vt potentissimum medicum non confugis. Illa noctis ludibrium suspicata, voci fidem non accommodat, nihiloque plus commota est, quàm si nihil audijsset. Sed ecce vox iterum ingeminat, rursusque imperat, vt se Alexandri precibus fidenter

commendet, & recuperatæ ſanitatis anathema illius tumulo appendat. Ad hanc vocem non eſſe ampliùs cum Deo, animi obſtinatione pugnandum iudicauit, dentemque Alexandri, quem penes ſe habebat, ſibi applicuit, & mox pulſis inquietæ noctis tædijs ſomno corripitur, cui cùm per aliquot horas ſuauiter indulſiſſet, experrecta tandem omni ſe doloris ſenſu liberam reperit, niſi quòd exile morbi veſtigium, vbi ſacro dente pedem contigerat, ſupereſſet: auctum eſt miraculum nouo quaſi miraculo, dum enim rei nouitate hæret attonita, eandem tertiò vocem audijt ſic iubentem, cur B. Alexandro confeſſarium non commendas grauiter periclitantam: fortè profectus confeſſarius peregrè & eo primùm die reuerſus, acutiſſimâ pleuritide laborabat, cùm mulier de abitu redituque, nedum de morbo quidquam inaudiſſet, ſed fuſis ad Alexãdrum precibus, eodẽ momento confeſſarius, collatis tẽporibus repertus eſt conualuiſſe. Totius rei geſtæ veritatem Reuerendiſſimus

& Illustrissimus Archiepiscopus publicis consignari tabulis summâque iussit fide stabiliri.

Aliud subijcio quod nihil minùs habet admirabilitatis. Illustris sanctitate & sanguine fœmina, periculosissimo morbo ad decrepitam ætatem accedente, iam Eucharistiæ viatico præmunita, manibus pedibusque lethali frigore rigidis morti proxima videbatur, cùm rectorem Collegij acciri rogat, delectasque Alexandri reliquias ægro corpori ad moueri. O rem miram sed veram! desperata ac moribunda mulier, quam pertinax aliquot dierum noctiumque tædium vexabat, leuissimò sopore correpta, quatuor ipsas horas dormiuit omninoque conualuit, quin etiam tertiò pòst die, diuino vt sacrifico interesset. ad sanctæ Mariæ Nouellæ, à qua eius ædes multum distabant, suis ipsa nixa pedibus perrexit, multosque postea annos, ex quo ipsa siné doloris sensu integra valensque perseuerauit.

Non dissimile sensit auxilium inops fœmina, quæ ob pedum infirmitatem

ſine grallis incedere non poterat, cum grallis quod neceſſe haberet, ægrè operabatur. Illa veſpere Alexandro ſe commendans: ô ſi, ait, expedito liberoque greſſu craſtinâ die ſacroſancto Miſſæ ſacrificio poſſem intereſſe! dixit, totâque nocte ſuauiſſimè tranſactâ, ſummo mane templum adijt, omnis immemor fulcri & doloris, cúmque Grallorum ab obuijs admoneretur, ſinite me, inquit; moxque templum ingreſſa, oculos omnium in ſe rei nouitate conuertit, ſummumque beneficium Alexandri precibus impetratum collaudauit.

Eiuſdem argumenti Continuatio.

CAP. XXXIIII.

SVperſedeo tam multis ſanctimoniæ notis miraculiſque, quibus inclaruit Alexander, immorari: nec rerum ſimilium tametſi magnarum turbâ patientiam lectoris obtundam, cùm ſolus numerus admirationem ſit habiturus. Aliqua tantùm breuiſſimè perſtringo.

Decumbebat primaria quædam fœmina periculoso diuturnoque morbo conflictata, cui cùm dens Alexandri fuisset admotus, repente conualuit.

Percrebuit fama miraculi, & adolescens diffusis toto corpore doloribus grauiter cruciatus, imaginem, quam ex precatorio Alexandri libello (Officium B. Virginis appellant) acceperat, malè affecto corpori adhibuit, nec vana spes aut imploratio fuit, preces sanitas excepit, & ex eo tempore icunculam illam è collo pendulam gestauit, vel accepti beneficij monumentum, vel morborum remedium.

Resciuit id prodigij & alius, qui constanter velut ex pacto certâ diei horâ grauissimè cruciatus eandem sibi imaginem applicuit omnemque vim doloris sedauit.

Languebat tam importuno impedita morbo fœmina, nulli vt rei manum posset quamuis enitens admouere quæ vbi sacrum Alexãdri lipsanum contigit, pertinacis vim morbi fregit & in omnem vitam constanter valuit.

Simili ratione alia mulier in periculoso sanguinis fluxu idem sacrum Lipsanum Religiosè complexa, quamdiu tenuit, sanguinem stitit, simul ac posuit, magnam denuo vim sanguinis misit.

Etiam ab hoste laudem accepit Alexander, obsessa à Diabolo fœmina, vbi Alexandri Rosarium de collo suspensum habuit, tartareo furore vociferata est, tollite hanc molestam mihi torquem, quâ crucior, ob virgineam Alexandri puritatem.

Illud obscurum esse nequit, siquidem in luce multorum astantium euenit. In Monasterio sanctæ Mariæ de Angelis Castello Friani sito, Soror Maria de summâ magnæ apud omnes sanctitatis opinione celebris, dum grauissimè laboraret, precesque pro eius sanitate funderentur, biduo ante mortem ad astantes conuersa, ecce inquit, B. Alexander me vocat, percontantique Antistiti quonam vocaretur, reposuit, nos duo scimus: nec multò post morbo in horas inualescente, placidissimè obdormiuit.

Nihilo minùs apertum eſt quod ſubijcio, graui iacebat effecta morbo Illuſtris Domina Maria Filcai; vxor Nemazingli, quæ cùm miracula, Alexandri precibus edita didiciſſet, eiuſdem reliquias à R. P. Rectore Collegij acceptas ſibi appoſuit. Proximâ nocte conſpiciendum ſe dedit illi B. Alex ander candidâ nube tectus, adeoque ſplendidis illuſtratus radijs, vt aduerſus intueri nequiret: hoc conſpectu omnem doloris ſenſum per horas duodecim abſterſit, cùm priùs intolerabili ſub læuam mamillam cruciatu torqueretur. Porro pridie quàm moreretur, ab Alexândro ſe in cœlum aſſeruit inuitatam, & magnâ potiundæ beatitudinis fiduciâ confirmatam.

Abrumpam hanc ſeriem, claudamque inſigni miraculo; fœmina cuius pars faciei extrema integro obduruerat biennio, tentatis fruſtra remedijs, damnatâ tandem medicorum ope, vbi beati Alexandri lipſanum contigit, ſanitati eſt reſtituta.

Alexander in febrim potens Pyretoiatros.

CAP. XXXV.

ARenam quærit in littore, quam otiosè dinumeret quiſquis in Alexandro, qui totus miraculum eſt, miracula quæritat. In ortu, in cunabulis, in morte, in exequijs, in tumulo, prodigiorum lux & miraculorum facultas cernitur, quæ conſtans & perpetua, dum viueret, poſt mortem illuſtris apparuit. Atque ego nec falli me putem nec fallere, ſi Alexandrum aſſeruero in omnes quidem morbos valentem & propitium ſed in febrim potentiſſimum; argumento ſunt quæ ſine ordine percurro.

Puer Florentiæ febrili torrebatur æſtu, iamque omnes medicorum artes exhauſerat: Patrem è Societate vocat confeſſionis causâ, ſimulque ambo recitatis precibus cęlitum Reginam communibus votis orant, vt per Alexandri merita ægrotanti ſanitatem impetret oſtendatque Alexandrum ſibi olim

in terris, & nunc in cœlo esse charissimum. Vix pedem domo extulerat Pater, cùm subitò reuocatus audit, videtque ægrum à funere rediuiuum, qui postmodum corroboratus ad Alexandri monumentum se contulit, sacrosancto Eucharistiæ epulo pascendus.

Huic affine est, quod occurrit. Fœmina tertianâ duplici iamque septem paroxysmis fracta, fusis ad Alexandrum precibus, contra spem medicorum, quî pertinacem fore febrim coniecerant, omnino releuata conualuit.

In agros vsque peruenit Alexandri fama. Inopi cuidam rustico propter acutissimam pleuritidem continuamque quatuor dierum febrim desperato, admotus Alexandri precatorius libellus ita profuit, vt sequenti die suis ipse manibus agriculturam exercuerit.

A Rustico ad nobiles veniamus: Inclyta noblitate gentis fœmina cùm flagrantibus febris ardoribus toto corpore torreretur, sacro Alexandri signata Lipsano, sanitatem continuò

recuperauit.

Ab eiuſdem Lipſani contactu duæ nobiles fœminæ febri exhauſtæ, item ſeruus & inſtitor quidam, deſperatæ omnes valetudinis, prorſus conualuerunt. His adiunge vnicum fœminæ nobilis filium, qui tertianâ laborabat.

Omitto cætera eiuſdem ferme rationis, hoc vno contentus. Febri languebat ſeruus & quidem peſtilenti (purpuram nominant) hic ſacro Lipſano ſignatus, iureiurando aſſeruit, audijſſe ſe vocem è candidâ nube prodeuntem, iubentemque benè ſperare, breui ſanandum; Ita damnatâ medicorum arte, quorum opinione ſuam ſalutem nouerat conclamatam, ſolis Alexandri precibus pollicitationibuſque fretus, priſtinam ſanitatem & ſperauit & impetrauit, paucíſque poſt diebus Alexandro in patronum electo, anathema votum de tholo, accepti memor beneficij, ſuſpendit.

Alexander mirabilis erga suos medicus.

CAP. XXXVI.

SAnctorum cum CHRISTO IESV in cœlo regnantium nulla in terris augustior celebritas & veneratio, quàm fusæ preces, & eorum in rebus difficilibus imploratio: Etsi autem in omnes, in suos tamen officiosus maximè fuit medicus Alexander, cuius rei argumenta sunt non leuia, quæ sequuntur.

Quo tempore serenissima Hetruriæ Princeps, filiæ partu laborabat, Illustrissimus Dominus Antonius Medicæus periculosá febri ardebat; à medicis itaque iam depositus sacris se B. Alexandri cognati sui Lipsanis signari iussit; & ecce vbi primùm sacra ossa contigit, remissus febris ardor ita euanuit, vt die posterâ redeuntes medici, quem pridie desperatum reliquerant, sanum & incolumen cum stupore repererunt Hæc Dominus Antonius Serenissimæ Principi recensuit, addiditque nulla se vnquam maiori voluptate

perfusum, quàm vbi sacta ossa sensit applicari; quare Serenissima Archidux dum in partu febri æstuaret, eadem sibi Lipiana deferri, applicarique voluit, quæ simul ac contigit, omnis febrilis æstus repente deferbuit.

A cognato ad materteram venio. Nobilissima mulier Alexandri matertera, cùm pleuritidis acutissimo dolore vrgeretur, iamque acerbissima dolorum vis arcem vitæ cor inuasisset, Alexandrum nepotem suum precibus venerata, eodem propè momento, morbo se omni sensit esse perfunctam.

A matertera ad domesticos descendo. Quædam Alexandri, dum inter viuos degeret, famula erysipelas passa, totaque iam deformata, medicorum iudicio de vitâ non minùs quàm de formâ periclitabatur. Hæc imaginem, ante quam Alexander orans genu flectebat, sibi applicuit, stupentibusque medicis omne contagium breui detersit.

Domesticum est, quod attexo: Seruus Collegij Florentini nimiâ febris violentiâ fractus, de potestate men-

tis ita excesserat, vt desperatâ salutẽ ad publicum morodochium fuerit ablegatus; intellexit serui incommodum pia Alexandri olim famula, dominumque ideo deprecata, integram seruo salutem asseruit.

Omissis, quæ sunt plurima, reliquis, illustrissima fœmina febri grauiter, iugique cordis palpitatione succussa, nullam aut nocturnæ aut diurnæ quetis partem capiebat; fuerat hæc Alexandro olim viuenti piè cognita, miroque orantis aspectu recreata: itaque vbi sacrum Alexandri Lipsanum contigit, palpitatio quieuit, & altero die medicus liberam febri inuenit & immunem.

Hæc sufficiant ex multis decerpta miracula, quæ tantum pij adolescentis memoriæ celebritatem, tantam sepulchro venerationem adiunxere; quantam ex concursu hominum æstimare magis licet, quàm idoneè dicendo recensere.

Conclusio seu Protrepticon ad adolescentes Christianos.

Cap. XXXVII.

SEd iam de pio adolescente, de quo nihil satis scribi potest, scribendi sit finis, quòd eius studiosè imitandi longè, quàm de ipso scribendi legendique, maior nobis necessitas incumbat. Quid igitur, Adolescentes Parthenici, quæ vestra cogitatio? exemplum protuli vestræ ætatis, vestræ sodalitatis, vestrarum scholarum, vestri exercitij. Insistite ea, quæ pressit virtutis vestigia. Ille vos sua integritate ac morum innocentiâ inuitat, imò premit lacessitque: hæc scripsi non vt admirationem tantùm, sed inuitationem mouerent: neque quis tantæ virtutis imitationem desperabilem dicat: si virtutis apicem non licet attingere, cur piget tentare & terrâ pedem efferre? sunt honesta subsellia, si fasces denegentur; est corona ciuilis proposita, si

triumphi amplitudo non attingatur. In Troianâ expeditione plurimi duces Æneas, Aiax, Vlysses commendantur, quorum nemo tamen Achillem aut Hectorem æquauit: Contendite ad mediocritatem officiorum & virtutum, si summum illud tenere non possitis: Alexandrum ducem habetis. Honoris olim fuit sub Alexandro Magno meruisse; cur piget sequi, si non licet assequi nostrum Alexandrum? Augustinum in cæno voluptatũ pertinaciter hærentem virtus honestè abblandiens vocauit primùm, deinde aduocauit, propositis puerorum puellarumque castarum exemplis. Adolescentem vobis sisto, & in oculis defigo; quem imitari possitis, nisi facitis, iudicem habituri estis olim, quem nunc hortatorem spernitis, & virtutis socium habere renuitis. Intereà quidpiam adolescentum Parthenicorum interesse existimaui, nosse, quid eorum socij cum laude egerint, vt & sanctâ recordatione, grati illis esse queant, & piam viuendi normam intuentes, vitam quoque ipsi laudabiliter insti-

tuant suam. Possem enim pro hoc adolescente vsurpare quod dixit Nazianzen. (Athanasium laudans virtutem laudabo quoniam omnes virtutes complexu suo tenet).

Nazien. in Lau. Ath.

Sanctorum vita, cæteris norma viuendi est.

Ambros. de S. Ioseph. cap. 1.

ADOLESCENTIÆ SANCTÆ PARS ALTERA

SIVE

AXIOMATA SELECTA,

Quibus adolescentia ad Dei cultum instituatur.

M. DC. XLVI.

AXIOMATA. ADOLESCENTIÆ SANCTÆ.

AXIOMA I.

Quasi à facie colubri fuge peccata, Eccles. 21. 2.

VTINAM quod in colubris, hoc in peccatis eueniret: scribit enim Ælianus serpentem, qui morsu hominem interemerit, non posse deinceps latebram suam ingredi, sed huc illuc temerè vagari, quasi maleficij reum & sceleris sui pœnas diuinâ animaduersione luere. Verùm proh dolor! peccatum videmus post infinitam internecionem hominumque stragem, etiamnum latebras in hominum pectoribus inue-

nire, vbi tutissimè delitescat: peccatum monet sanctus Antiochus non vt serpentem sed vt ignem esse fugiendum. *Hom. 124.* Quem enimuerò ignem? non Ætnæum intelligit, aut è Vesæuo prodeuntem, qui paucis nocuit: non Babylonium, quem ros cœlestis temperauit: non ignem communem, quem vtilitas commendat; sed ignem, quem æternum, quem Gehennæ ignem sacri codices appellant, Poëtæ Pyriphlegetontem, D. Chrysostomus inextinguibilem. *Hom. 2. in 2. Thess.* Fuge igitur, &, si quid in fugâ laboris est, cogita maiorem esse in morâ acerbitatem. Rectè D. Chrysost. πονηρίαν improbitatem à πόνῳ, à labore dictam voluit quòd innumeris animum doloribus vexet & cruciet: dirus est enim sui carnifex & tyrannus vitium, iustumque fabulis dedit argumentum, vt esse furias assererent, igne flagellisque armatas, quæ in nefarios inaudito crudelitatis genere sæuirent; fuge & quidem celeriter, quia tantùm ad victoriam addimus difficultatis, quantùm detrahimus de resistendi celeritate: vt enim arborem, cùm ra-

In Psal. 139.

dices egit; sic vitium, cùm semel adoleuerit, arduum est extirpare; vt ignis in materiâ pingui, sic vitium in naturâ corruptâ, latè incendium excitabit, nisi pœnitentiæ cinere quàm primùm obruatur, aut lacrymarum imbribus extinguatur: Fuga verò si in vllo, certè in libidinis vitio necessaria est, (fugâ fuge fornicationem) inquit D. Paulus, quia videlicet pictor est Cupido, & in ipsâ cogitationis morâ fœdæ imagines inscribuntur animo magis, & tenaciùs adhærescunt. Qui incautè in paludoso cœnosoque itinere vestigiũ fixit, quantò diutiùs insistit, tantò profundiùs immergitur, donec eximere se non valeat & pedem efferre. Auaros quidem & superbos aureæ sericæque catenæ detinent, sed impuros cœnum & viscus, de quo Dauid immersus sum in limo profundi.

Cor. ca.6.

Psa. 98.

Pudicitiæ sectatores non ineptè comparantur arbori nobilissimæ, pudicam vocant quæ perinde ac si rerum accessum distingueret, accedente homine

Scal. de subt. exer. 181.

aut bruto ramos conſtringit, recedente pandit & explicat. Huic arbori affinis eſt herba, quæ ab Apollodoro αἰσχυνομένη quaſi (pudibunda) appellatur, quòd admotæ manus contactum foliorum contractione refugiat. Miratur, & iure Methodius quòd in Olympi montis vertice, vbi ignis ſponte enaſcitur & erumpit, ſtirpem viderit, cui Pyragmus nomen eſt, efflorescentem, & opacâ foliorum viriditate exultantem, cùm reliqua circum areant & exurantur: grande quoque miraculum videtur, ſi quis igneæ libidini vicinus æſtum non ſentiat, cùm reliqua incendio longè latéque furente abſumantur: Non es Pyragmus, adoleſcens Chriſtiane, vt areſcentibus omnibus iuxta igneas fauces, vbi ferrum & adamas liqueſcunt, ſolus vireſcas. Fuge, dum licet ad Spiritus ſancti rorem, lacrymarumque imbrem, quo ſtygius ardor reſtinguatur; nihil enim melius occurrit, quàm cum Abrahamo de fornace Babylonicâ & de Vr Chaldæorum auolare.

Pho. cod. 224.

At ignominiæ erit, inquies, terga

vertere: stare verò et que obuiam ire, summæ laudis ac fortitudinis. Verùm non est probrosa ista fuga; sed vt verbis vtar D. Ambrosij, (fœcunda virtutum est, non effœta meritorum) sic fugientes à sapiente nominantur, scintillæ discurrentes, quod fugiendo splendescant, & terga fugæ data, lauro palmisque onerentur, & omni gloriæ luce decorentur. Quis nescit Parthos olim fugiendo pugnasse, & fugâ terribiles extitisse? παρθος & παρθενος affinitatem habent nominis vtinam & eandem pugnæ rationem. Laudabilis quædam est fugiendi ratio, cùm quis ex arte fugit, vt ipso persequendi labore hostem fatiget, & fatigatum prosternat. Audiamus D. Petrum Chrysologum (Bellicosus quòd in bello fugit, artis est, non timoris) sic Horatius tribus Curiatijs hostibus impar, fugâ simulatâ, singulos per interualla occidit: pari ratione dum se fœdæ cogitationes facto velut agmine offerunt, fuge; dum enim hostium coniunctorum declinas impetum, ipsâ diuulsione vires singulorum imminuis,

De Fuga Soc ca, 6.

Ser. 150.

Homerus perillustri vir ingenio Æneam à fugiendi peritiâ commendat: In Chersonensi pugnâ fugit Demostenes vir non minùs forti, quàm subtili ingenio, aureumque illud pectus, magnæ mentis sedem, & ingentis consilij capacem dubijs reipub. temporibus reseruauit, hoc responso suis inuidis facto (vir, qui fugit, rursus prælia-
Aug. biitur.) Sic generosi illi castimoniæ
li. 17. propugnatores non tam fugam quæ-
c. 21. runt, quàm Dei gloriam retro positam, ad sequentia prælia toto animo sæpiùs, & sæpiùs redituri. Ita Antigonus: (non equidem fugio, sed vtilitates meas retro positas persequor). Et verò an abiectum putatis, & nullius animi Iosephum, qui fugâ suæ pudicitiæ consuluit & pallium dimisit, vt innocentiæ vestem seruaret; ô generosissimum adolescentem! fugit quidem Ioseph, sed ad brauium, sed ad palmas: non pugnauit, & triumphauit; ferocientem hostem procul fregit, quem propè cominusque sustinere non potuisset. Arator pius Diaconus, idem & il-

lustris Poëta , vbi de D. Pauli fugâ meminit , sportam , ait , quâ demissus est , palmis fuisse contextam , perinde ac si diuina innueret prouidentia sæpe cum fugâ copulari victoriam ; & Dei causâ susceptam , verè esse palmatam. Hæc nisi fugam suadeant, fuge quia hostis indignus est tuo congressu: honesta fuga est, aut potiùs excusatio certaminis , cùm nebulo quispiam ignotus & sordidus , virum generis & animi nobilitate clarissimum ad certamen prouocat , aut è calonum lixarumque fæce audet quis contra strenuum belli ducem potentissimumque imperatorem arma mouere: quid non hic consimillimum ? non timidi hostem fugimus , sed dedignantes auersamur ; nec tantùm certamine sed etiam responso indignum iudicamus. Quod si vitij ignobilitatem & libidinis fœditatem nescis , intelliges, dum Hebræos cogitabis , qui vbi perfidâ ingratitudine vitulum adorauerant, tam nigros vultus induebant, ac si in Æthiopas repètè mutati, & in dæmones fuissent: Inter cætera libido tam

fœda est, vt turpitudinis nomen sortita sit: non est igitur quod educere gladium velis, & cum tam infami hoste in arenam descendere; sic potiùs habeto, vnicam certamque salutem esse periculi fugam, eamque maturam. Spurina adolescẽs Hetruscus immortalem toto orbe gloriam meruit, quòd cùm animaduertisset singularem suum oris decorem intuentium solicitare oculos, vultus pulchritudinem vulneribus correxerit, malueritque formæ, quàm pudicitiæ iacturam facere; denique *quasi a facie colubri fuge peccata*, & inuenies nullam in hoc certandi genere, vel securiorem vel magis gloriosam esse victoriam, quàm, quæ à viris sanctis tum exemplo, tum doctrinâ probata est, celerrimam constantemque fugam. Esto igitur primum hoc adolescentiæ sanctæ axioma, *quasi à face colubri fuge peccata.* Serpens est voluptas; quid serpentem in sinu, vel solo afflatu sibiloque noxium, languidâ manu attrectas? quin potiùs elidis & enecas? venenum est voluptas; quid venenum longo ductu

&

& diuturna potatione ebibis? scintilla est voluptas; quam nisi aquâ extinxeris aut cinere continueris, exitiosum in carnis fœno excitabit incendium. Inimica est voluptas; sed in primæ velitationis consilio victoria sita est, nam exclusus hostis pectoris arce, imbelle iaculum torquet, admissus semel, in ipso ingressu custodes & præsides perdit. Effuge, iterum repeto, fuge, honesta fuga est: rationes si quæras, iam protuli, si cupis alias addo; quarum prima est quod admissi ad colloquium hostes, vel etiam pede presso prouocati, carnem nostram ad internam seditionem inducunt, & propter germanam libidini & carni affinitatem suas in partes facilè, & ad ineundam belli societatem pelliciunt: Altera est, quòd voluptas quasi venefica, hominem suo contactu in insaniam ita redigat, vt iam amens nec arma parare valeat, nec aliquid cum consilio præstare, sed potius tela in se ipsum furiosus conuertat. Venefica illa & saga homines in feras transmutat; an ille censendus homo, qui voracitate lupum

inquit, iracundia canem, ſuperbiâ pauonem, leuitate paſſerem, furore leonem, timiditate ceruum, laſciuiâ hircum? rectè Origenes (non omnes homines, homines ſunt.)

Ad extremum cogita peccati grauitatem. Quiſquis de perpetrando peccato deliberat, in primâ veluti aggreſſione Deum inter & dæmonem ſtat medius quaſi arbiter; hinc Deus cauſam ſuam orat, filij vulnera oſtentat, beneficeetiæ ſuæ largitates proponit; Inde diabolus voluptatem promittit veluti eſcam, pollicitationibus incitat & allicit; quiſquis tunc peccat, dæmoni cauſam adiudicat, verè iniuſtiſſimus iudex, & Chriſto Barrabam, latronem ſeruatori anteponit. Ex quo fit vt Deo inſultet Dæmon; ſic, inquit, res creatæ ſuum conditorem, ſic liberati ſuum vindicem & aſſertorem amant; ſuum me hoſtem agnoſcunt, imò tyrannum, & ſequuntur vltro; non ego pro illis crucem ſuſtinui, aut ſanguinem fudi, ſicut tu, Chriſte, non æternã polliceor felicitatem ſicut tu, Chriſte qui exemplis dirigis, monitis doces, minis terres

ô præposterum peccatoris consilium! vbi serpentis prudentia, quam in Christianis Deus requirit?

Id ego non dico tantùm, sed assero fidens, & quantâ valeo voce pronuncio, nam probare pluribus quid attinet, (*quasi à facie colubri fuge peccata*) ideo enim fortasse depascuntur mortuorum hominum cadauera serpentes, quod in viuentium animis sibi olim sedem fixerint & pararint; diabolus vocatur serpens, & quidem à sancto Epiphanio σκολιώτατος, tortuosissimus, cuius venenum exhaurire, nulli in AffricâPsylli, nulli inItaliâMarsi quauis industriâ possint: itaq; (fuge peccatum serpentis instar) quia ingreditur blãdè, in nouissimo mordebitvr coluber *Pro.* 23.

Scribit Ribadeneira P. Lainiũ adhuc iuuenem ad flagitiumà fœminâ solicitatũ, quam ipse perinde ac si statua esset, sensus omnis expers, graui minacique oratione deterruit; tamen ipsummet postea solitum dicere, consultius futurum fuisse expertæ licet virtuti minimè fidentem è vestigio; gloriosâ in re tali se fugâ eripere.

Ex D. Augustini mente pariter, (Libidinem fugere pars magna martyrij) hoc solùm discrimine posito, quod olim qui martyrium fugiebant, & delitescebant, martyrij laurum amittebant, sed laureâ castitatis, imò martyrij decorantur, qui occasionem fugiunt; nam fuga, martyrij loco est, eóque est gloriosior, quod qui se in pericula coniicit de merito victoriæ detrahit, & quamuis vincat, non tamen sine aliquo vulnere triumphabit.

In 1. ad Cor.

Axioma II.

Multam malitiam docuit otiositas.

Ecclesiast. cap. 33.

NIhil est tam vnicuique proprium quàm tempus, cùm enim sol omnes dies, annosque definito cursu describat, suam sibi quisque asciscit partem, neque rex plus sibi de tempore potest, quàm è vulgo quispiam decerpere: neque tamen, quia commune vnicuique est, despicatui esse debet; nihil tam commune, quàm oceani littus, aiunt Iurisperiti, nihil tamen pre-

tiosiùs, cùm lapillis & vnionibus prætexatur. Verùm quot hodie reperias adolescentes, qui in flore ætatis otio languent & consenescunt; quibus hoc vnum curæ est, nihil curare, quod animi contentionem requirat: oblectant pascuntque animum camporum amœnitate, aucupio, piscatione, inambulatione, genialis mensæ apparatu, viuendi libertate, de quibus meritò dubitari possit, sintne inter viuos, an inter mortuos reponendi; cùm enim viuere sit agere, si tollas actionem, familiari parricidio vitam tollis: eorum domibus apponi posset, quod Vatiæ ciuis romani villæ inscribi volebat Seneca, (Vatia hîc situs est) neque enim tam viuere dicendi sunt, quàm vt glires, desidioso in languore inertiâque pinguescere. Vitæ humanæ, artisque imperatoriæ finem esse victoriam ait Aristoteles, quæ otiosis nunquam contingit, sed laborantibus & honesto puluere perfusis. Celebris est C. Marij sententia. (nemo ignauiâ immortalis factus est). Et sapienter à naturâ prouisum est, vt multæ extarent in

Epi. 55.

Li. 1. Eth. ca. 1.

hac mortalitate difficultates, quæ segnitiem excuterent industriamque humanam acuerent. Iam verò multi ex ijs, qui occupatos se putant, in opere suo sunt otiosi; alienis se immiscent rebus, nugantur, rotant arma, nulli sunt minùs, quàm qui esse deberent. Atque vtinam experientiâ non esset compertum quàm multi adolescentes scelus otiosi didicerint, quod occupati ne quidem somniassent. Certè nisi iuuenilis indoles assiduo honestarum occupationum cultu exerceatur & quodammodo fatigetur, aliud exerit nihil, quâm turpium cogitationum germina, & impudicarum actionum fruges, quæ mirâ se luxurie effundunt per otium: vt enim sine culturâ nascuntur lolia; sic turpissimos fœtus emittit animus incultus & otiosus, qui innata habet concupiscentiæ semina: Pingitur cum sagittis Cupido, quas in animos hominum iaculetur, sed hærent illæ in corde per otium emollito: si torqueantur in animum laboris assuetudine duratum, resultant continuò & retunduntur. Rectè enim Valerius

cor hominis dicit saxi & marmoris duritiem, laboris assiduitate induere. *Li. 8. ca. 7.* Mirantur sæpè senes in confectâ etiam ætate importunos se concupiscentiæ motus experiri; sed doleant potiùs effrænatam suæ adolescentiæ libertatem, cuius semina vitâ procedente adulta, in senectute perueniunt ad messem, (quæ enim seminauerit homo, hæc & metet de corruptione corruptionem).

Multam malitiam docuit otiositas, *Eccl. 33.* schola scilicet vitiorum est; D. Basilius otiũ vocat præceptorem vitiorum: *Hom. 8. in Hex.* illius scholæ hæc ferme sunt axiomata, illius doctoris hæc fermè documenta: quid tam durâ asperitate innocentem adolescentiam vexas, vbi vix quicquam adhuc peccatum est? quid labores intolerabiles ætati teneræ? quid mori iuuat, antequã viuere cœperis? durus es tui carnifex: fruere ætatis vere, sat citò Senectutis hiems adueniet, curas relinque præceptorib⁹, solicitudinẽ parẽtibus, cõfirma vires, quę laborib⁹ ferẽdis pares olim esse possint: hæ sũt otij præceptiones & monita, è cuius ludo

prodierunt Epicurus , Sardanapalus, Heliogabalus , digni hac schola discipuli. Contrà verò alter se aperit ludus, laboris scilicet schola , cuius gloriam satis commendat ludimagister ipse Deus, qui ante omne æuum internam habuit suæ diuinitatis actionem,
Ioan. (Pater meus vsque modò operatur) ex
8. illius disciplinâ prodierunt Angeli, administratorij spiritus , qui internâ se intelligentiâ feliciter exercent, & continua orbi vniuerso officia præstant: vnus homo, qui in societatem Dei Angelorumque per actionem venire potest otio se mancipat & socordiæ, cúmque illam partem , quam cum bellius communem habet , feriari nunquam sinat rationem , quâ cum Angelis cognationem habet , carnis pondere patitur ad otium soporemque deprimi: Studeamus igitur laboris scholæ , ex quâ orti sunt Deo præceptore, virtute magistrâ , quotquot virtutem coluerunt , & gloriam sui nominis posteris tradidere sempiternam.

Neque tamen fugias otium , vt ad actiones animum transferas ipso otio,

deteriores, quid ineptius, quàm, ne otiosus sis concursitare, lusitare, pergræcari, chartas voluere & pictas & lasciuas; sic agere, est clauum clauo pellere, & dæmonem vnum admittere, vt alterum excludas: talis est eorum error, qui propter otij fugam ad choreas, ad popinas accedunt, vt tempus fallant, meliùs dixerim, vt conscientiam; neque enim vitium fugiunt, sed mutant. Arcessantur ad fallendum tempus occupationes honestæ, exercitatio literaria, librorum piorum lectio, opera misericordiæ; tempusque omne, quo viuis, à Deo tibi concessum existima, vt bene viuas, longum id an breue sit, nihil ad rem, neque enim quisquis diu vixit, bene vixit, vt debuit. Imò verò ne diu quidem vixit, sed, secundum Senecam, diu fuit. Quemadmodum qui ad portum, vnde soluerat, per eadem vestigia vi tempestatis abreptus est, non ille multùm nauigauit, sed diu iactatus est: pari ratione quidquid temporis externa negotia amici, vel peccata, nobis adimũt, ad vitæ diuturnitatem nihil facit.

De breuit vitæ ca. 8.

Omnium certissima possessio tempus est, si expendere nouerimus, si alienis aut inutilibus negotijs perire non sinamus. Expectant diu sæpè adolescentes amplum à parentibus patrimonium, sed iam in manu habent ditissimũ, quod non minuit fortuna, in quod ius non habet casus & aliena dominatio, scilicet pretiosissimum tempus; sed hæc est cõmunis calamitas, vt iuuenes quiduis potiùs, quàm de vsurâ suæ ætatis cogitent; sic enim viuunt, quasi ipsis concessum sit iuueniles annos roburque semper retinere, morari senectutem, & quantum voluerit temporis, ad vitam adijcere, cùm etiam perierit, reuocare: imò perinde, ac si res esset importuna, tempus; & tædium afferret potiùs, quàm vtilitatem, varijs conantur artibus illudere, & fallere illud dictitant, & verò faciunt. Vnde sua sunt ijs stipendia, qui fallendi temporis artes profitentur. Ad extremum duabus sententijs totum hunc locum definio, ad vitandum peccatum fuge otium; ad fugandum otium, studia pietatis & literarum amplectere, quid-

quid temporis pietati aut literis perit, otium puta. Hanc ob causam in omnibus bene constitutis ciuitatibus cautè olim prouisum est, vt iuuentus literarum vel armorum tractatione occuparetur; eâ de causâ tantopere sancti viri ab otio abhorruerunt, tanta in Basilio, Gregorio, Augustino, Hieronymo, Thoma Aquinate, studiorum fuit assiduitas, vt tempus ad vires cibo somnoque reficiendas concessum sibi surriperent, & in negotium transfunderent literarium. Sed, inquies, ista sunt sanctorum exempla; rectè ais, verùm eadem tibi tractanda sunt arma, quibus victores euasere, eadem est pugnæ ratio, non est alius hostis, non aliud, quàm illi, cœlum expectamus; non aliud, quàm illi corpus gerimus, carne & ossibus compactum. Caue Apostoli fulmen, (si quis ignorat, ignorabitur:) Eheu! videas aliquando adolescentes cùm in museum relegantur, veluti in pistrinum redactos; cùm libros tenere coguntur, ad remum propè alligatos: reperiuntur alij, qui libros quidem

1\. Cor 14. 38.

habent plurimos ad pompam, non ad vſum; de quibus ait Apollinaris Sidonius, (membranas potiùs videntur amare, quàm literas) vbi vbi Mamertus Claudianus, in quo, vt ait Sidonius ille, & grammatica diuidit, & oratoria declamat, & Arithmetica numerat, & Geometria metitur, & Muſica ponderat, & Dialectica diſputat, & Aſtrologia prænoſcit, & Architectonica ſtruit, & Metrica modulatur, an putatis otioſam fuiſſe iuuentutem quæ tantæ diſciplinarum varietati initium dedit.

Li.5. Epi. 2.

Loco citato.

Alij ſunt, vt dixi, inutiliter operoſi; hi pigmẽta cogitatione fingunt, adornant nauigationes ad aureos montes, &, cum illo ægro, apud Pergamenum medicum, Atlante feſſo, cœlum ſuſtinent: eſt otium ſed quieti inimiciſſimum non ἔργον ſed πάρεργον, vt aiebat Agato Tragicus.

Quot hodie adoleſcentes tempore, ingenio, cæteriſque Dei donis abutuntur? Præclarè Auguſtinus, ſi calicem aureum inueniſſes in terra, donares illum Eccleſiæ Dei; accepiſti

Epi. 61.

à Deo

à Deo ingenium, spiritaliter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas tè ipsum. Magnificum illud est Stoicorum dogma (in actu moriendum) neque prius laborandi quam viuendi finis faciendus est. Sed conrra audias non rarò has voces (fallamus diem) vel etiam (mactemus hoc pomeridianum tempus) cæci ! adeóne paruipenduntur vobis horæ pretiosæ , quibus merces cœli nundinari licet? euolabit vestrâ opinione citiùs ille salutis dies ; veniet, fortè breui, certè aliquando, momentum, ex quo pendet æternitas, exclamabitis fortasse cum infelici illo apud Gregorium Magnum (induciæ vsque ad mane, induciæ vsque ad mane) & pari cum illo exitu è vita migrabitis: paucorum est enim Ezechiæ felicitas, inducias impetrantis, (fili conserua tempus, inquit sapiens, & amplissimus erit tibi meritorum fructus) si enim virtutis opus, aliud excipiat, si succedat tertium, & ita deinceps, quis bonorum operum cumulus expirante mense? quis aceruus exeunte

anno? quis theſaurus finiente vita? Xenophon iuuenem conſpicatus induſtrium & laboris amantem, (iucundiſſimũ, inquit ſenectuti cõditobſoniũ).

Mathematici ex aſtrorum compoſitione & aſpectu mutuo, quid in terris futurum ſit, inaniſſimè ſæpenumerò conijciunt; Apoſtolus actionum humanarum altitudinem metiens quid in cœlo conſtituendum ſit haud dubiè definit, & ſitus poſitioneſque beatorum minimè fallaci radio deſignat. (Vt recipiat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit).

AXIOMA III.

Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Pſal. 17.

MAgnum eſt, atque haud ſcio, an maximum ad virtutem promouendam adiumentum proborum conſuetudo: Et, vt rectè dixit Ennodius, proximus eſt innocentiæ, qui ſanctorum meretur colloquia: influunt enim in animum viuæ virtutis imagines,

obuersantur virtutis exempla ; sic vt conuictus ille, schola sit virtutis, & ,vt ait Aristoteles , perpetua exercitatio honestatis : contrà verò nullus aër est tam pestilens , quàm afflatus peruersi adolescentis, qui nequitiam anhelet: Sanus oculus quando laborantem aspexit , afficitur , inquit D. Chrysost. Pari ratione si socium improbum intueris, labes momento adhærescit, serpit virus , & grassatur. Cùm suadenda virtus & in animos instillanda est, longo verborum flexu & indefesso labore opus est ; sed vitium propagandum prono cursu in hiantem animum illabitur : vnde virtus placidissimi instar fluuij , argenteis vndis , & lympidissimo quietissimoque flexu suauissimè in volentem influit ; vitium torrentis in morem , exundanti vortice & præcipiti cursu etiam in nolentem ruit. Magnus Constantinus liberis suis comites & socios adhibuit pietate ornatos , quos Eusebius vocat (propugnacula firmissima.) Habendus est igitur ad societatem & commercium delectus ho-

Li. 9. Eth. ca. 9.

De vita Const. li. 4. c. 52.

nestorum adolescentum, quorum lepos & facetiæ pietatem non violent, sed potiùs appetitionem virtutis incendant: ij verò fugiendi, qui ridicula adhibent ad animum, vt aiunt, relaxandum; meliùs dicerent corrumpendum; qui vbicumque constiterint, attolli clamores audias & vociferationes, fieri cachinnos, procaciùs illudi, obscœna iactari, quæ hilaritatis causâ comprobare ferme necesse sit. Remoueantur scurræ illi, immodestique nebulones, iuuenes flagitiosi, & licentiâ ætatis garruli, qui tum se putant dixisse pulcherrimè, & ad omnium admirationem subtilissimè, cùm dictum aliquod obscœnum intorserunt, quorum eò magis detestanda est consuetudo, quod, vt risum moueant, nec diuinis codicibus, nec adorandis Euangelijs, nec cœlitibus, nec Deo ipsi parcunt, sed, dummodo lepidi videri possint, sciti, & venusti, conscientiâ suâ & alienis auribus indignissimè abutuntur. Dicteria illa caueamus, quæ Tullius appellat, illiberale, & ne libero quidem homine dignum iocan-

di genus. Vtinam reuiuisceret sapientissimus ille Saraias, quem diuini co- *Iere.*
dices (principem recreationis) vt ver- 51.
tit Vatablus, nominarunt; ille iucundâ 59.
rerum honestatum commemoratione dictisque argutis humanissimâ audientium animos voluptate ita complebat, vt Rex Sedecias quotidiano illius commercio colloquijsque vteretur.

Adolescentibus è pueritiæ portu egressis primus hic scopulus occurrit periculosissimus, multorumque naufragijs infamis, sociorum improbitas: quàm multi singulis diebus ab impijs socijs malè pereunt, qui, quandiu soli fuerunt, vitam duxerunt Angelicam, simulatque Academias & commune hominum consortium frequentarunt, statim didicere & præstitere, quæ antea suspicari leuiter aut cogitare horruissent, facere vel tormentis etiam propositis refugissent. Fit enim in hoc genere, quod in quibusdam corporum morbis, qui tametsi internas habeant causas, non tamen erumpunt temerè, nisi qua accedat extrinsecus aut cœli, aut exercitij aut victus mutatio; itaque

videmus aliquos vel educatione vel occupatione ita à peccandi occasionibus abstractos, vt integritatem ad extremam senectutem perduxerint: sed frequenti occasionum sese ingerentium importunitate fit vt paucorum sit hæc felicitas, eâ de causâ inter miracula numerat S. Hieronymus Nebridij adolescentis Romani vitam, qui in medijs ætatis & aulæ delicijs innocentiam seruarit, vbi effusa libertas inuerecundiam in adolescentibus, & animum ad scelus proiectum generare, vel nutrire solet. His permotus Arsenius Theodosij Imperatoris aulam fugit, cùm de salute asserendâ sollicitus, hanc è cœlo vocem audijsset (Arseni fuge homines, & saluaberis). Magna enim est in omnem partem exemplorum vis & sociorum consuetudo. Non diu D. Martinus S. Hilario, sanctus Augustinus S. Ambrosio, alij alijs conuixere, & illo tamen licet breui conuictu, tanta virtutum fundamenta iecerunt, quanta post, educta ad summum fastigium moles

nctitatis ostendit. Contra Platonis miliares magistri gibbum: Aristolis discipuli sui præceptonis balitiem; Alexandri magni aulici, eius apitis demissionem, & vocis stridoem retinuere.

Varia autem sunt sociorum genera asto adolescenti fugienda. Alij aperâ, quod aiunt, galeâ, pro vitio cerant, primâ fronte nudam, semoto pulore, licentiam flagitiumque sine insinuatione venditant; ipso tenebrarum patre deteriores, qui transfigurat se in Angelum lucis, & pessimis facinoribus velum aliquod honestatis obtendit. Illi aperto vultu, nec Deum nec homines reueriti, impudenter loquuntur, & impudentius faciunt, nihil simulant, sed aperta suisque coloribus depicta crimina proponunt; profitentur docere se adolescentes ea, quæ cum ætatis verecundiâ, cum monitis parentum, cum præceptionibus magistrorum, cum consilijs omnium, qui ijs bene volunt, ex aduerso pugnant: & tamen, ó cæcam adolescen-

tiam! auscultatores inueniunt & discipulos cúmque stomachum ingenuo adolescenti & indignationem mouere deberet tanta impudentia, amorem acuit & appetitionem: vbi vbi generosa illa Agnetis constantia, quæ ad honestum connubium, non ad infame scelus inuitata respondit (discede à me pabulum mortis, fomes peccati?) vos verò, adolescentes optimi, si quis in vobis est ingenuus pudor, ad impudica verba erubescite, & si quæ iuuenilis animi fortitudo in vobis est, ruborem in inuerecundi suasoris genis colapho imprimite: Bernardinus Senensis adhuc adolescens ad turpioris vocabuli auditum, quasi accepto colapho erubescebat: ille ipse viro nobili impudica iactanti colaphum impegit tam insignem, vt eius sonitus longè latéque pertineret: Certè in hoc periculi genere aliquid audendum est, timido enim & meticuloso cauendum, ne canes imitetur ignotis primùm hominibus oblatrare solitos, post escam, abblandiri. Verum isti, de quibus dixi-

Amb. li. 4. epist. 34.

inus soci; inter sua damna hoc habent commodi, quod sese aperiant, bellum animæ publicè denuncient & quò venenum produnt manifestiùs, eò faciliùs cauentur; ipsi enim suâ se damnant sententiâ & ad victoriam non tam magnâ arte, quàm fortitudine opus est.

Aliud quoddam genus est sociorum subdolum & fallax, qui ouinâ pelle lupinam crudelitatem velant, & artificiosè improbitatem tegunt; principio nihil scurrile aut inuerecundum audies, ne animi malè compositi faciant indicium; norunt illi per initia dissimulare, si bonæ indolis adolescentem vident, amicos se & honestatis sectatores fingunt; sed nimirum vt nulla, sic nec virtutis simulatio diuturna esse potest: itaque vrgente permoti cupiditate diductâ paulatim galeâ faciem ostentant, dandum aliquid iuuenturi, exosamque senum morositatem iuuenes dedecere: quòd si ad prima inuitamenta horreas & refugias, continuò reducunt velum, & totum scelus cautissimè dissimulant: Si

sunt sub tranquillo pelago latentes scopuli, ad quos allisi adolescentes innocentiæ ruinam patiuntur; his enim colloquijs audaciores facti iam naufragium non timent; qui antè maris aspectum, nomenque horruissent.

Pro. ca. I. Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, lac enim præbent, quod suauiter influit, sed soporem conciliat sensumque adimit. Sisara dulci lactis haustu soporatus ferro occidit; venenum est quod enecat non nutrit, Circeum est poculum, quo epoto homines insaniunt.

Fuge igitur, adolescens Christiane, laruatos illos Dæmones, qui occultum bellum gerunt (hi sunt, qui boni videri, non esse; mali esse, non videri volunt: mali sunt & boni videri volunt, ne soli mali sint: mali videri timent, ne parum sint mali.) At inquies, non audeo negare: quid illud non audeo? non audebis honestè denegare, quod alius audet impudenter sæpiùs rogare? displicere malis, laudari est, ait Seneca. Asiatici seruitu-

Bern. serm. 66. in Cant.

Se-nec. Phil.

tem ſeruierunt duriſſimam, quod trium literarum ſyllabam (non) efferre non valerent. Sed amicus eſt, inquis, à quo beneficia accepi, & accepturus ſum: falleris, amicus non eſt, ſed hoſtis; deſinit amicitia humana, cùm odium in Deum ſuadetur; eſto amicus, ſed ad aras. Verùm pergis obgannire, condiſcipulus eſt, cuius facetijs plurimùm delector, non ita facile ſocios reperire eſt, qui caſtimoniam colant. Sile, iniuriam facis mille honeſtiſſimis adoleſcentibus, quorum in contubernio tuta eſt caſtitas: quod ſi neminem reperias, malim te ſolitarium, quàm flagitioſum. Tandem ſic fortaſſe vrgebis; vir eſt prouectioris ætatis, cui res meæ vitæque cura commiſſa eſt, à quo multùm detrimenti poſſum accipere: at vnum hoc repono, & loquacitatem tuam coërceo (ſi oculus tuus dexter ſcandaliſat te, erue eum & proïice abs te) nullus tibi eſt amicus oculo tuo charior; nullus, à quo potiora beneficia acceperis, nullus qui tuæ ſaluti magis inuigilet, ſi ſecus feceris, ami-

eorum causa, Theseum imitaberis, qui Herculem est comitatus vsque ad inferos.

Ibi tuos nequitiæ comites inuenies, quorum olim societas tantopere placuit. Ibi greges damnatorum, vt vuæ in torculari, vt lateres in fornace, vt oues iugulatæ in laniena, mutuâ compressione colliguntur; hæc erit tua domus, hi socij; In hac diuini furoris fornace, tui socij manus pedesque vincti, & ijsdem tecum verubus infixi ardebunt. Quis tibi esset sensus, mi adolescens, dum integris viribus vteris, si cogereris inter ægros, morbidos, sanie putridos, nocte dieque habitare, fœtorem odorari, tabum intueri, querelas & lamenta audire. Hic tussit, ille ingemiscit, alius expirat, ô qualem infernum! exclamares. Sed immeritò; falleris, thus est, quod fœtorem appellas: chorus est musicus, quod complorationes & lamenta dicis, titillatus est, quod plagas nuncupas: Paradisus est, quod infernum putas, si cum damnatorum societate compares, & in illâ luctus domo, cuius inco-

r & domestici alternis ardent odijs, nemo socium amat, alter alterum dentibus lacerat: hæc societas nonne à quolibet impetrabit, vt prauas societates potatorum, lusorum, obscœnorum, cautissimè deuitet?

Patauinorum tyrannus Actiolinus eum habebat carcerem, in quo captiui squallore sine ferro peribant; hîc nullus erat non infelicissimus, nisi cui mors obtigerat; hîc cogebantur viui inter mortuos, & putrida cadauera habitare tanto fœtore, vt dici soleret, mortui hîc viuos interimunt. Eheu! quot sunt mortui, quot peccatores, qui viuos, qui innocentes occidunt? carcer ille paradisus erat, quia finem suppliciorum inueniebat. Dei carcer exitum nescit, si te in eum tui sodales coniecerint, perijsse semel æternum est. *Ioui. l. 16. elog. in Acti.*

Deuita igitur nunc prauorum consortia; vocat te aliquis in popinam; inuitat ebriosus ad æquales haustus; recede, dic tibi alia esse negotia grauioris momenti; dictum veritati consentiet, agitur enim de innocentiâ &

temperantiâ seruandâ (viue cautus tibi, alijs gratus) monet D. Bernardus.

Ad extremum moneo, vt hæreticorum colloquia fugias, quid enim tibi cum illis perfidis (vt cum Tertulliano loquar) veritatis interfectoribus & parricidis? expectas forte, vt ad meliorem se frugem recipiant? scilicet dent illi manus victrici veritati, qui temeritate armati, stant in gradu & hærent in omnem partem intenti, vt, si quando se veritas ostentet, parricidâ manu confodiant & interimant: par est hæreticorum obfirmatio cum Dæmonis peruicaciâ, inquit Augustinus, & primis Ecclesiæ temporibus

Epi. 167. Christiani non minus hæretici, quàm Dæmonis congressum fugiebant: ibat ad Balneum D. Ioannes, cúmque esse intus Cerinthum agnouisset, pedem retulit, & conuersus ad comitem, fugiamus, inquit, ne cum illo veritatis hoste opprimamur: nec metus inanis, sed rei futuræ præsensio fuit. Fugite igitur nouatores illos, fungino velut genere nocte vnâ progenitos; fugite furiosam Cadmi sobolem in orbis na-

n opprobrium & contumeliam; fu-
te tineas illas ſcripturæ, vt ait Am-
oſius; Diaboli primogenitos, vt ait
olycarpus: vel eiuſdem fiſtulas, vt
quitur Damaſcenus: mortuos vt ait
poſtolus: Ac quemadmodum veteres
i Pythagoræi perfugis, ſectæque
æ deſertoribus columnam ſepulchra-
m erigebant, veluti defunctis, quo-
m omnis iam memoria conſepeliē-
erat; ita hæreticos D. Paulus ha-
it pro mortuis, in quibus impietas
vitiorum corruptio iam fœteret; &
.Ignatius martyr, hæretici, inquit,
ῆλαι εἰσὶ καὶ τάφοι νεκρῶν, ſunt co-
mnæ ſepulchrales & mortuorum
onumenta. Neque enim mouentur
agis, quàm exſuccum & exanime ca-
auer, quod fidei ſolem oculis non ex-
ipit, nec reſonantem audit Euangelij
ibam, nec vitalem veritatis ſpiritum,
œlumque reſpirat: Imò & ipſi mortui
æreticos fugiunt. Coſmus ſanctiſſi-
nus Abbas mortuus, & vnà cum hæ-
etico Epiſcopo ſepultus, ſingulis no-
ctibus erumpebat in eam vocem à
lurimis auditam; noli me tangere

hæretice, & ne appropinques mihi inimice sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.

Quanti verò debeas bonorum contubernium & societatem facere D. Ignatij Societatis IESV fundatoris docebit exemplum; Cùm tria starent in portu nauigia, mox in Italiam soluturа, duo magna & firma, tertium pusillum vetustate carieque fatiscens, instarentque peregrini apud Nauarchum vt in robustâ suâ naue Ignatium exciperet, eiusque sanctitatem prædicarent, is cognitâ eius paupertate, sanctis nauigio opus non esse respondit: sed breui didicit cauillator ineptus re ipsâ non ita sanctos viros nauigijs, quàm nauigia sanctis opus habere; nam cùm tres illæ onerariæ pariter vela secundo vento fecissent sub vesperam grauissimâ tempestate coortâ, duæ firmæ & bene compactæ naues naufragium fecerunt, paruula & malè cohærens, & periculo proxima, in quam gratis Ignatius ascenderat, licet multùm iactata, cursum tamen incolumis tenuit: tanti interest in hominum Deo acceptorũ comitatu versari.

Axioma IV.

Non est digna ponderatio continentis animæ. Eccles. 25.

DAmascius apud Photim, Bastræ in ciuitate Arabiæ, adoratum isse ait Deum, nomine Theandri-m, qui primus vitam castam inspira-rat: quis ille alius Theandrites, iàm Christus, Dei hominisque natu-m complexus, qui amator castitatis, idicitiæ amorem primus instillauit, virgines æternâ lauro decorauit? ni-dixerimus cum Gregorio Nazian-eno primam virginem esse Triadem, nnesque virgines Dei puritatem re-rre; παρθενία, id est, παρὰ θεὸν, iod virginitas proximè ad Deum ac-edat; Ambro. epist. 82. Virginitas fons t in quo maximè imago Dei lucet ac lender. Pho. cod. 242.

Certè virgines Angelorum laudem dentur superare, isti enim corpore rent & fomite, vnde scintillæ libidi-

num erumpant; Sed hominem in hac carnis imbecillitate, in quotidianâ pugnâ, vbi caro spiritui mortem aut captiuitatem denunciat, triumphare, hoc enimuerò mirabile est. Circe in antiquis fabulis homines in bruta sanimantes commutabat, nunquam in Angelos potuit; hoc vni castimoniæ concessum est, iuxta D. Bernardum (Angelum denique de homine facit) & quoniam similitudo fons amoris est, dici vix potest quâ beneuolentiâ prosequantur Angeli pudicos; in plurimarum virginum obitu auditi sunt beatárum mentium chori, qui dulcissimum Pæana, epiniciumque triumphale canerent, & læto plausu animam beatam deducerent: & verò Latini castos appellarunt cælibes, quasi cælites, quod vitam in terris ducerent cœlestem: & primi parentes quandiu in horto Edenæo, tandiu in virginitate permanserunt, eiecti verò & patriæ sicut innocentiæ exules de liberorum procreatione cogitarunt, nunc meri homines, paulò ante Angelorum socij & æmuli. A primo illo mun-

Quintil. li. 1. c 10.

exortu ad gentiles descendamus:
omani olim Consules, Imperatores,
ipsi quoque triumphali pompâ vr-
em ingredientes, si occurrisset virgo
estalis, de viâ discedebant, quippe
rtutes aliæ omnes, consulum pru-
entia, Imperatorum fortitudo, victo-
um gloria, vni pudicitiæ honoris
ausâ deferre videbantur: A profanis
iscedamus; Quæ duo à mortalibus
urimi fiunt, vita & posteritatis cura,
la tamen castitatis studio à Chri-
ianis contemnuntur: vitâ nihil pre-
osius, quoties tamen in contentio-
em cum honestate venit, pretium &
norem amittit: videre Agnetem,
heclam, Cæciliam pro castitate tam
ulta præstantes, pro vitâ, ne voca-
ılo quidem blandiori, tortorum
ratiam aucupari, imò potius furo-
em armatamque manum irritare, &
ontra se ipsas, capitis causam agere
pud eos, qui aliunde in cædem vltro
rebantur: nulli ignota esse potest
la apud Cedrenum virgo, quæ cùm
militis impudici potestatē venisset,

nosse se dixit artem, quam, si ille didicisset, omnibus esset telis impervius: eam artem, si à se violandâ abstineret, paratam esse docere, & experimentum in suo corpore sustinere: visa est militi res non minus ad gloriam, quàm ad salutem eximia; dat virgini fidem: illa oleo collum leniter inungit & oblinit, moxque hominem iubet quantá vi posset maximâ, in eâ corporis parte gladium experiri, paret ille & præter opinionem, contráque voluntatem, caput virginis abscindit, castitatemque martyrio coronat. Nec minus posteritatis spes contemnitur; ita amant homines per filiorum successionem, familiam propagari, vt ij, quibus natura liberos denegauit, adoptione quærant: adeò cupiunt, quam in se ipsis non possunt, in progenie immortalitatem assequi: sed languet insitus ille à naturâ appetitus, & posteritatis cura, pro virginitatis gloriâ: cogitate S. Elzearum cum Delphiná coniuge, Henricum Imperatorem cum Cunegunde, neuter cogitauit de filijs in terrâ, vt parenti in cœlis

terno placerent. Quod si castitatis
nimoda attendamus, fortitudinem
ræstat: Godefridus Hierosolymo-
im & Syriæ Rex, qui summam suâ
rtitudine Turcis admirationem fe-
t, rogatus vnde sibi tantum robur es-
t manuum, vt nullum in congressu
arem inueniret, respondit, hæ manus
ulierem non tangunt. Neque tan-
ìm fortitudinem, sed & sapientiam
ræbet castitas, vnde Ethici sapientes
ùm de sapientiæ adeptione loquun-
ur, vxorem negant esse sapienti du-
endam, vt docet apud Platonem Ly-
ias. Faciat Deus vt iuuentus nostra
astitatem tanquam ingenij matrem,
apientiæ nutricem colat, liceatque
licere, (ô quam pulchra est casta ge-
neratio cum claritate) id est propter *Sap.*
ngenij claritatem, mentisque illu- 4.
strationem. Vnus è Græciæ sapienti-
bus Thales magnum habuit ad sa-
pientiam parandam adiumẽtum, quòd
ad matrimonium à suis inuitatus res-
ponderit nondum esse tempus, post an-
nos aliquod, cùm ijdem instarent,
abijsse iam tempus.

Sed, dicet adolescens quispiam, ad eam vitæ puritatem non vocor: Imò teneris ad castitatem; quis nouit quidnam Deus, cuius in manu sunt corda hominum, de nobis sit constiturus? sed esto, non audeat adolescens de castitate perpetuâ secum statuere, quid causæ est cur ante definitum vitæ statum, in vitio potiùs quàm virtutis exercitio viuat? magnam tibi polliceris virtutem, cùm pueritiâ transactâ te in virum annorum numerus transcripserit; sed sæpè per totum vitæ flexum puerilitas remanet, & procedente ætate vitijs pondus tribuimus, cùm authoritatem habemus senum, & vitia puerorum: non ita erit vti speras, concupiscentia in coniugio sæpe non minuitur, sed augetur. Verùm quot adolescentes ad mortem voluptas deducit, quot sunt Glauci Minois filij in melle suffocati, iu quo non apum dulcedinem, sed aculeum mortis inueniunt? Sed his omissis, quo saltem possumus tempore pudoris hostiam, victimam castitatis, vt loquitur D. Ambrosius, Deo offeramus: sacrificaturis adeũ dum est tem-

Li. 1. de virg.

lum,expectandum tempus, eligenda
ostia; Pudicus non ouem quærit ex
pimo grege,non par turturum, totus
pse hostia est, agno & turture castior;
ne accerrâ votiuum ignem gerit, &
olocaustum incendit, sine cultro vi-
am immolat, sine cruore martyrium
elebrat sine alio, quàm mortificatio-
is thure,diuinum exhalat thymiama,
quod Deus admittit in odorem suaui-
atis:& verò D. Thomas castitatem, à
astigando appellat:carnem enim vult
sse instar puerorum leuium, qui nisi
œnâ comprimantur, in omnem se lu-
tum insolenter effundunt; quæ corpo-
is afflictatio eò studiosiùs vsurpanda
est, quò quis fuerit naturæ vi, ad sen-
uum titillationem procliuior, vt sunt
uuenes, qui cùm multo abundent san-
guine & robustâ fruantur corporis va-
letudine,laxis feruntur habenis ad om-
ne genus voluptatis hauriendum; non
arò tamen visum est adolescentes
olando voluptatis sensu tentatos hu-
mi se abiecisse, & puluerem prope
ipsum ore detersisse vel vino ali-
quot dies abstinuisse, vel alio pœ-

pœnæ genere dolorem sibi intulisse, perinde ac si inimicitias cum carne testatas iuratasque exercerent: erubescant igitur adolescentes, & impudicitiam, vt naturæ probrum, abhorreant Romani prætextam pueris addiderunt vt cum purpuræ rubore, laudatissimum virtutis colorem adiungerent; est enim verecundia in adolescentibus famæ custos, vitæ decus, continentiæ soror, & bonæ spei prænuncia: sed armata esse debet castitas, qualem Mineruam pudicitiæ præsidem, & literarum reginam poëtæ commenti sunt; arma sint, crebra Dei & sanctissimæ matris cogitatio. Permulti ad duorum vocabulorum recondationem (sodalis ego sum Beatissimæ Virginis) sordidam cogitationem, sic tanquam serpentem, generosè eliserunt; recurrat sæpè Dominicæ passionis memoria, cerne Christum sub crucis onere fatiscentem, felle potatum, vepribus horrentem, pedes manusque, clauis, lanceâ pectus perfossum, & extrema quæque pro peccatis tuis exautlantem. Ethnici ad virtutis exemplar Alcidem sibi finxerunt,

xerunt, per omnem eruditum tole-
ntiam, vsque ad cœli patientiam,
iod vicario sustinuit humero; nihil
: quod fingas, ipsam habes ad æmu-
tionem veritatem.

At, inquies, quomodò victoriam
erare possum qui tot annos victus
nctusque iaceo? audi: fiet Dei gra-
i, quod naturæ viribus nequit; expe-
re, & disces etiam cum suauitate ca-
re ijs, sine quibus ne spirare quidem
posse falsò existimaueras. Quod si
st adhibitum studium, spinis adhuc
se protrudentibus pungaris, animum
firma. Tum vinces, non cùm hoste
rebis, sed cùm minimè corrues: re-
ctantur corroborati longâ diuturni-
te habitus, sed si steteris, vitio non
rtentur; redeant in memoriam ge-
erosa illa superioris ætatis facinora;
. Thomæ Aquinati adhuc iuueni
dolescentem submittunt parentes,
ià formâ, quà procacitate ad flagi-
um inuitantem; ille raptum è foco
tionem minaciter infentat, eodem-
ue titione crucem in pariete deli-
eat, antequam humi stratus castimo-

niam vouet. Martianus in florente ætate ad peccatum à fœmina prouocatus, tantam de cogitato solum facinore dolorem concepit, vt aspectante muliere in luculento incendio corpus vsque eò volutarit, donec humi affixus per septem menses, pedibus consistere non potuerit; ex illa porro victoriâ tantùm percepit voluptatis quantùm mulier, primùm admirationis, deinde pudoris, mox enim vitæ prioris turpitudinem, voluntariæ pœnitentiæ seueritate in monasterio castigauit. Si quibus castimonia commendata esse debet, certè adolescentibus & maximè literarum studiosis.

Sur. tom. 1. Febr. 13.

Musæ grauiter ferentes quòd Venus amoris stimulos sibi intentasset, pudicitiæ amissæ dolore, Adonidem veneris Amasium interemerunt: vt intelligant Scholastici à pudicis Musis castitatem adamari. Dixit vester Tragicus Seneca. (Solamen vnum matris amissæ fero, odisse quod iam fœminas omnes licet) & Hieronymus, vnum matris aspectum iuueni permittit.

Sene. in Hip. act. 1.

Animaduertit sapienter Hieronymus hæreticos ad promouendam opinionum prauitatem, fœminis vsos esse. Simon Magus hæresim condidit, adiutus auxilio Helenæ meretricis; Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum conditor, choros duxit fœmineos; Marcion Romam præmisit mulierem: Apelles, Philomenem comitem habuit: Montanus, Priscam & Maximillam, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arrius vt orbem deciperet, sororem principis ante decepit: Donatus Lucillæ opibus adiutus est in Hispania. Agape Helpidium duxit in foueam: ducit ad hæresim & ad omne flagitium libido: Neque facilem crede victoriam. *Hier. cõtra Stesi.*

Non totus tu pugnas pro te, conatu supplendum est, quis singulare certamen acceptaret hac superbâ lege, vt vnâ duntaxat manu dimicaret, æmulus cum vtraque? quid si aduersus plures vnus, & alterâ manu mutilus? cupiditates importunæ inducias nesciunt; mediâ nostri parte

contra nos pugnant: plures fuere expugnatores vrbium, qui se non potuerunt non dicam expugnare, sed propugnare; non dicam dominari; sed tueri: Quanto nobilior est mens saxo, tantò præstat se, quàm vrbes superare; quantò animus corpore melior est, tantò gloriosiùs est se, quàm alios vincere; aliena victoria hostium duntaxat domat corpora quæ prosternuntur: at sui victoria ipsum superat animum cœlo superiorem: abiecti vilesque viri clarissimas cœpere ciuitates, viles abiectæque ciuitates clarissimos viros: quia, vt ait Vrbanus Pontifex maximus huius nominis quartus, homo contra se, dimidiâ sui parte minor decertat, & sine armis, quia sine se.

Axioma V.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Ephes. 5.

NOn opus est (Adolescentes Christiani) Spartanorum seruos vobis exhibere, quos Domini vino in-

urgitabant, vt turpissimæ rei con-
ıitu filios ab ebrietate reuocarent:
am turmatim occurrunt in oculos
briorum fœdissimi greges, in quibus
ıius vitij turpitudinem agnoscatis:
ogitate è condiscipulis vestris ali-
ıem vino sepultum, mentiar nisi Ar-
dica sit illi mens, Beoticum inge-
ium, auris Bataua: cernite vt sine ma-
fluctuet, sine hoste terrores patiatur,
ıe febri toto corpore contremiscat,
ceat vt stipes, spumet vt furiosus, vt
nis vomat, & vt ait D. Basilius, Caini
aledictionem in se circunferat: aspi-
e vt duos soles sine tubis, geminam-
e lunam videat, tonitrua sine nube
audiat, bombosque in capite reso-
ntes. Prohibuerat Plato ne adoles-
ıtes ad decimum octauum vsque an-
ın omnino vinum libarent, reliquo
rò ætatis tempore iusserat vt mode-
è attingerent: dicebat quoque He-
ılitus animam siccam, esse sapientis-
ıam; Certè quæ vino innatat, nihil
um sapit, nec aureis Platonis alis
uecta, humo se vnquam attollit.
e denunciat illis Isaias (qui potentes

sunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem). Primis temporibus post exantlatos labores, amici sese ad curas leuandas inuitabant, & exiguum poculum manu ferentes ex eo aliquid prælibabant leuiter, & alteri hauriendum præbentes humanissimè salutabant; quòd in eodem calice, in quo vterque biberet, temperatio quædam fieret animorúque commixtio; quin etiam prægustatis cibis illini osculum amoris signum existimabant: vnde Cyrus iunior ad amicos è mensâ mittere consuerat demorsos panes, prælibatos cibos, semesas carnes, quibus postea vescerentur. Nunc verò honestæ illæ inuitationes in probrosas propinationes degenerauere, neque tenuiter exiguum calicem attingunt; sed decumanas pateras cyathosque prægrandes, vno spiritu exhauriunt, & amicos suos ad æquales potus adigunt: fit pugna inter conuiuas, nec prius quiescunt quàm omni ex parte concidant: in illâ contentione, si quis aquam cogitet, irridetur; si quis potum renuat, reus est amicitiæ violatæ; tunc enimuerò audias cieri clam o-

es, minas intentari, verti conuiuium
n dissidia Lapitharum: putes iam esse
urgendum? de integro potum instau-
ant, pugnamque renouant, cuius præ-
nium aliud esse nequit, quàm culpa, &
orporis infirmitas. Aliquis olim socio
rælibans dicebat (viue) nunc, si verè
oqui volumus, dicendum (morere)
orquentur enim velut in equuleo con-
iuæ, venena potius, quàm viua præ-
enduntur; nam omne, quod nocet, ve-
enum est: videas aliquando quatuor
ut quinque iuuenes in hospitio, qui
ræter temporis iacturam valetudini
ncommodant sumptu inutili, &; quod
eiùs est impio; senectutemque præoc-
upant non morum grauitate, sed in-
ommodorum multitudine accersi-
am: illi sybariticos mores æmulan-
ur, Epicuri hortos, Asotorum gurgu-
tia, Aristippi culinam renouant, al-
erius omnis scholæ planè immemo-
es; poscunt maioribus poculis, & non-
unquam in rubro gurgite naufra-
gium patiuntur, syrtesque inueniunt,
on tam vndæ illisu, quàm vini
æstibus periculosas, vbi mœrente

pietate religione næniam concinente ratio mergitur. Videre est aliquando adolescentes ante vigesimum annum adipe diffluentes, quorum venter in latitudinem excrescit, totumque corpus fœdissimè turgescit. Hos sacra scriptura (ventres) appellat; & rectè: videas enim veluti nouos Geryonas duplici mento, arcuato ventre, inflatis buccis, stillantibus oculis tardè incedere, qui obesis faucibus vix suffocata verba possunt euomere. Ex illis, vt loquitur Plutarchus, dolijs in humanam formam effictis nihil grande aut eximium expectes; sed miseri iuuenes frequentiori potu, veluti Circeo poculo, in tardas languentesque pecudes commutati, sanguine & adipe suffocantur. Clemens Alexandrinus ebrietatis vitio præsidem assignat non ficticium Bacchum sed verissimum potentissimumque Dæmonem, quem (Ventridæmonem) nuncupat; neque verò vnus dæmon per mensas & pocula circumuolitat, confluunt omnes veluti ad nundinas, mensasque conuiuarum putant, mercatorum mensas, vnde

copiosissimum sibi lucrum faciant: bacchatur enim non minùs in tricliniijs, quàm in triuijs calumnia & detractio, vbi non tam ossa animantium, quàm hominum vita moresque roduntur; quis enim nescit vix vllum esse delicatiorem cibum, quàm si quis vitam alienam mordeat, vix potum suauiorem, quàm si aliquem irridendum propinet: & verò, vbi linguam soluit Lyæus, lapsus in conuiuijs facillimus est & frequentissimus: Ibi (Diabolus nostris saturatur ex culpis) ait Chrysolog. multique ad mensam accedunt veluti ad Herculis sacra, quæ maledictis olim & execratione celebrabantur. Neque verò vna detractio, sed libido quoque ebrietati comitatur. Venter mero æstuans, inquit Hieronymus, despumat in libidinem; apud iuuenes præsertim, in quibus sanguis & caloris natiui copia dominatur. Agite igitur (Adolescẽtes Parthenici) nolite adolescentiæ vinum, & incendio incendium superaddere, quasi parum essetis infirmi & imbecilli nisi hostem armaretis: Prima lex castitatis est *Epi. 83.*

cibus potusque necessitari seruiant, non libidini. Si castitatem amatis, desinite maioribus poculis certare, nam in illâ pugnâ primum telum contra pudicitiam dirigitur, cuius candidum pectus, non stillanti ferro, sed sanguineo poculo fœdè laceratur. Hortor itaque vos & obtestor per vestram corporis & animi sanitatem sanctitatemque, vt is sit conuiuiorum vestrorum apparatus, quem agnoscere vt suum modestia non erubescat; Platonis estote discipuli, qui mensam habebat ipsius, vt aiebant, Philosophiæ manu instructam, cui cùm assedisset aliquando Timotheus eiusdem discipulus, dixit eum, qui in Academiâ cum Platone cœnasset, etiam postridie benè & iucundè valiturum. Imperatores Christiani illas ad bibendum prouocationes lege prohibuerunt: cauerat Assuerus, ne quis alios ad potum impelleret: Concilium Nannetense id initiatis seuerè vetat, ne vltra tertiam vicem bibant: iura ciuilia iniuriam patri dominoque factam censent, si quis filium aut seruum in popinam duxerit;

Este. 1.8. Dist. 44. ca.7. de Cons. dist.5 cap. nullius.

quanta sit Deo iniuria, cùm quis ad ebrietatem homines Dei filios & seruos coëgerit, & ratione simul & gratiâ spoliarit: sed si qui vrgeantur, prudenter se excusent, si premantur, pro sobrietate martyrium patiantur, vt ait Chrysostomus: Christus clamat, væ vobis qui saturati estis, quia esurietis, fame scilicet æternâ & grauissimâ: gulæ delictum, sequitur gulæ pœna, & suum noxæ respondet tormentum. Constat diuturnâ fame homines in eam rabiem & furias agi; vt suos ipsi artus auidissimè vorent, ante mortem vino quasi tumulo sepulti, quod Zenoni Imperatori contigit: quid igitur fames non nouem dierum, sed nec nouem sæculorum, at æterna, quam nec mica nec gutta leuabit? ô cœnam insuauem damnatorum, post lautum huius vitæ prandium, vobis olim longum nimis videbatur quadragesimale ieiunium, iam indicti sunt æterni ieiunij dies. Veteri dicunt prouerbio Germani, Hilaritas cùm maximè calet, claudenda,

Hom. 1. ad popu.

Baro. ann. 491. Zon. Enno- diut.

felicitatem in mensâ & patinis; tanquam pecus in fœno *constituunt, (quorum Deus venter est; aquaticulus, altare; Sacerdos, coquus: quorum fides, in culinâ calet; charitas, in ollâ feruet; & tota spes, in ferculis iacet, ait Tertull.) veteres in mensâ suos Deos & Idola collocabant, vt ad illorum aspectum gulam continerent; Mos erat & mensis credere adesse Deos: nos Christum semper præsentem habeamus, vt author est Chrysost. (Epulis vestris Christus interfit) & cum Hierony. (hoc obtestor vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno) rationem addit; Hæc aduersus adolescentiam prima arma sunt Dæmonum. Notanda & sæpe legenda adolescentibus literarum studiosis aurea illa Romani Imperatoris sententia fieri non potest vt animus libidini deditus amore, desiderio, cupiditate, copiâ, inopiâ etiam nonnunquam impeditus, literis operam dare possit: & paulo post; omittendæ enim sunt omnes voluptates: relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo

Tert. adue. Psyc.

Oui. l. fast.

Chry. 16.

Hier. ad Eust.

Pro M. Cælio.

etiam penè omnium familiarium deserendus: quæ res in hoc genere homines à labore studioque deterret.)

AXIOMA VI.

Abominatio est Domino, labia mendacia. Prouerb. 12.

TAntam Deus voluit in viris Christianis esse simplicitatem, vt puerilem innocentiam æquaret: sed hodiernâ die tanta est in pueris simulatio, vt virorum fraudes superet, & vix Christus pueros modò possit inducere, & in exemplum simplicitatis proponere. In primo quidem Ecclesiæ flore tantæ fuit admirationi simplicitas, vt, qui eâ pollerent, pueri vulgò nuncuparentur, vt auctor est Papias: quemadmodum Abrahamus Abbas celeberrimus pueri nomen sortitus est, vt pote puerili simplicitate & diuinâ quadam innocentiâ conspicuus. Isaias quo loco Christum vocat paruulum, eodem eius victorias de Damasco & Samariâ numerat, sed, vt ait Tertullianus, an ad arma populum vagitu vocaturus est?

an è nutricis collo hostem designaturus, aut Damascum pro mammis subacturus? nequaquam; sed simplicitatē puerilem intellige, vbiq; victricem & palmis gloriosā. Persæ nihil prius suos liberos, quàm veritatē docebant, & sui Orosmades Numinis Maximi, corpus lucem; animam esse veritatem dicebant. Aspar patricius cùm Leonis Magni purpuram manu prehendisset, ô Imperator, dixit, hac veste indutum mentiri nefas; liceat mihi quóque exclamare, adolescentes candidà innocētiæ veste, & ingenui pudoris purpurà indutos nefas est mentiri: in barbaris quidē ferenda essent mendacia & fraudes, quales in Hunnis fuere, ferro & chalybe factis hominibus, de quibus Valeriani Imperatoris effatum prodit Olaus, quidquid Hunnus agit, insidijs agit, sed in ingenuis adolescentibus id minimè ferendum est, cùm, vt ait Philo, fraudes ad seruile & minimè liberale ingenium pertineant. Magnanimum adolescentem decet veritas, quæ in sublime erigit animum, montium cacumina tran- Æli. li.4.

scendit, & superatis nubibus puro aëre fruitur, vicina Deo (& veritas tua vsque ad nubes) mendacium verò repit humi, puluerem lambit, & in sordibus volutatur: quare quò maiore quis animo est, eò studiosiùs veritatem sequitur, cùm dicat Aristoteles, virum fortem candidè apertéque dicere & facere: sed proh dolor! cessit è terris in cœlum veritas aiunt Mythologi: quibus consentit Regius vates
Psal. (diminutæ sunt veritates à filijs ho-
11. 2. minum) quippe magni patris filia illuc redit, vnde ad nos venerat, & in aureo apud diuinitatem solio considens, in sui contemplatione beatas mentes defixas tenet: viguit illa quidem in terris quondam, & summo cum honore regnauit, cui astabant in famulatu comites, fides, charitas, beneuolentia, pudor, religio, sed postmodum, in illam irruerunt monstra & furiæ, fraus, dolus, simulatio, mendacium, stragemque ediderunt luctuosam, in quâ veritas saucia & debilitata concidit, iuxta Isaiam (corruit in plateâ veritas) postea tamen propheticæ

columbæ pennas mutuata in cœlum euolauit: illic diuinus Plato campum veritatis constituit, perinde vt D. Paulinus (omnia sub sole vanitas) proinde super solem veritas: miror tamen quomodo pulchritudinis amantes homines deam omnium pulcherrimam è suo cœtu eiecerint, de cuius formositate pulchrè Augustinus (incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum, pro istâ enim fortiùs nostri martyres aduersus hanc Sodomam, quàm pro illâ mille Heroes aduersus Troiam dimicarunt.) Fuco non opus est, longisque sermonum phaleris ad veritatis commendationem, quia cùm simplex sit & sine fuco veritas, fucum respuit; cùm nuda sit, nuditatem amat; neque tamen in illâ suâ nuditate minùs fortis: quid enim aliud est veritas, quàm palma quædam stabilis, suisque fertilior vulneribus? vt enim illa manus hominum & conatus, & obtusam vt plurimùm securim geminato palmite irridet, sic veritas mordacis linguæ ictus despicit, & licet laboret sæpissimè, surgit

tamen, & innocentiæ defensione animata respirat; stat illa tam in regem quàm in subditum, nec magis minis potentiorum, quàm infirmorum precibus mouetur: quid antiquitùs tot Fauni, tot Sybillæ responsa? quid tot Apollinis oracula? nisi vt quam nouerant Diuinam veritatem diuino, quod aiebant, furore indagarent. Amo antiquos illos, æternæ licet veritatis inscios, qui veritatem alij depinxerunt nudam, alij simplicibus ornamentis leuiter coopertam quod in viris simplicibus, & probis habitaret: Atque vt speculum non reddit imaginem, nisi stamnum vitro, aut quid simile substernas; ita non nisi in animis solidis & verâ virtute nixis, imago relucet veritatis: ô summam veritatis fortitudinem, quæ Philosophorum rationes, Rhetorum eloquentiam, Mathematicorum ingenium, Theologorum subtilitatem superat! magnam enim suæ laudi viribusque putant factam accessionem, si ingenii astutiâ, argumentorum vi, rationum pondere suas in partes veritatem trahant: ô incre-

dibilem veritatis æquitatem, quæ infirmorum patrona, insontium litem suscipit, & crimen in suos artifices conuertit. Quid vos, ô Susanna, ô Ioseph in tantas cerno angustias impeditos? quid tam subitò expeditos? in has vos, mendacium impulit, veritas exemit. Deæ veritati veteres mel & ficus ad ostendendam dulcedinem obtulerunt, & iuuenes felle omni amariorem putant veritatem. Pauci sunt Anaxagoræ, qui ita veritatem colant, vt veritatis ipsum nomen mereantur. Candor enim Christianus mirum quantùm obsoleuit, dictuque difficile est, quid quisque sentiat, quid velit. Multi in congressu mutuas timent insidias, blandique simulatores fronte se & ore decipiunt, veluti Mercurij bifrontes aut Protei, qui in omnes se formas induant. Quot hodie adolescentes reperias Silenis Alcibiadis similes, qui speciem intus contineant longè ab exteriori diuersam (væ duplici corde) qui Paphlagonicis similes perdicibus videntur, quas gemino corde constare prodit

prodit Plinius: aut Capris, quæ Lambendo exsiccant arbores, & cùm illas osculari videantur, occultum infundunt venenum, quo pereant: Primorum parentum nuditatem, symbolum simplicitatis vocat D. Ambrosius; quod nundum amictum fraudis natura sciret, quæ postea multis simulationum inuolucris tecta est & velata: ad artis medicæ cognitionem requirebat in suis discipulis Galenus, amorem veritatis; sine illâ nulla est in studijs cognitio, nulla in foro iustitia, nulla in mercimonijs fides; consepultâ veritate, religio superstitio est; medicamenta, sunt venena; obsequij pollicitatio, taciti odij signum: extinctâ illâ, redit antiquum cum æternâ rerum perturbatione chaos, redit veterum νυκτομαχία, obscurum in nocte prælium, vbi quis amicus, aut proditor, quis iugulum petat, aut opem ferat, nequit intelligi: versipelles & mendaces fillam imitantur, indicum fluuium, qui nihil iniectum supernatare sinit, nihil enim ex fraudulentis expiscari queas, aut in apertam lucem educere. Fugiant

Li. de cõst. art.

igitur mendacium adolescentes optimi, quod in ipsis inferorum faucibus odio haberi prodit Homerus: est enim mendacium fructus Erebi, progenies dæmonis, qui in veritate non stetit, cuius ex satu multi filij: sed absit vt ingenui adolescentes, filij lucis, & domestici Dei, dæmonem agnoscant patrem, iuxta illud (vos ex patre diabolo estis:) absit vt Christiani, qui sub candidis veritatis vexillis militant in ipsâ luce veritatis, qui à paganis vnâ veritate distinguntur, veritatem non colant, cuius professione Deus, summa veritas plurimùm honoratur; Gallorum singularis simplicitas animique candor, omnium propè nationum confessione & historiarum testimonio commendatur, habent enim mores lilijs suis candidiores, nec minus à simulatione, quàm à peste abhorrentes: hinc est quòd Ennodius pro laude Gallis assignat (niuem probitatis) id est, candidi animi simplicitatem: Christus simul atque diem intueri cœpit, cœlestes misit nuncios ad pastores, superbis quidem hominibus, despicabi-

les, sed cœlo propter morum simplicitatem candoremque amabiles, & quemadmodum ait de Apostolis Chrisologus (simplicitate pretiosos) vt ex D. Paulo diuitias simplicitatis agnoscas: Pachomius Abbas simpliciores suos Monachos, nuncupabat, *ι* quòd eâ literâ nihil sit rectiùs, nihil simpliciùs; vafros verò & versipelles, appellabat ζ & ξ, quòd eæ literæ sint tortuosæ, anfractusque habeant plurimos, qui aptè ingenium callidum exprimant. Si scholasticos ab Alphabeti characteribus appellare vellemus, certè tortuosas geminare literas deberemus, & rectas simplicesque delere; sed caueant, diuinamque manum timeant mendaces; Oseas dum de versipelle loquitur (dolores, inquit, parturientis venient ei) illucescet aliquando illa dies, cùm quæ studiosè tecta sunt, proferentur in lucem: vterum gestat incesta illa mens sed pariet tandem, & dolorem parturientis experietur, cùm non alia erit obstetrix, quàm Nemesis & diuini numinis iustitia: audiant potiùs & frequenter animo recolant iu-

uenes si ad magna contendunt, triumphale epinicium victrici veritati olim cani solitum, *Principium magnæ virtutis, ô Regina veritas.*

Axioma VII.

Non sedi in concilio Ludentium.

Ierem. 15.

IMportuna esset adolescentibus Lacedæmoniorum lex, παιδιὰν ἀπέχεσθαι, vt omnes à Ludo abstinerent; In eum enim propensione quâdam naturæ feruntur: Animaduertere tamen est, quòd qui in Ludum effusi, sunt sæpè in vitium proni, adeo vt in sacris paginis Ludere, idem sit quod maiestatem Dei violare, & lasciuire. Verùm Academiæ princeps Aristoteles Ludum non modo opportunum, sed etiam necessarium ad animi vires, & Hippocrates, ad valetudinem asseruit. Ludi autem, qui ad animi corporisque sanitatem iuuant, ij sunt potissimùm, qui cum aliquâ corporis exercitatione adiunctam

Plat. li. 1. de Leg.

Li. 1. Eth.

Li. de Flat.

habent animi recreationem : vetant enim sapientes ludum esse nominandum, qui suâ difficultate mentem cruciet, contentionemque nimiam desideret; ludus quippe debet esse ludus & parui momenti, quem sine labore vsurpes, sine adhæsione deponas. Clemens Alexandrinus adolescentes iubet pilâ palmariâ ludere, imò ad exercitationem, luctam concedit, quòd ad corporis pulchritudinem valetudinemque plurimum facere contendit, sic tamen vt cùm vestes ponendæ sunt, honestatis meminerint, clamores inconditos vitent, & artuum contorsionem quandam minùs honestam verecundamque fugiant. Commendat idem ille deambulationem, alij pluuio præsertim cœlo musicam, modò ab obscœnis abstineat. Alexander vel hoc vno nomine verè magnus fuit, quòd cùm Troiam appulisset, vellentque ciues Paridis Chelyn, vt antiquitatis monimentum ostendere, subitò renuerit, oculosque aliò retorserit, causatus turpem esse & aspectu magnanimi ducis indignam citharam,

quæ nihil præter venereos amatoriosque sonitus edidisset : Neque minùs detestandi sunt Ludi vetiti,& in primis Ludus aleæ,vel tabulæ,quem damnant D.August. S. Cyprianus , Concilium Eliberitanum ; atque adeò Imperatores, qui non modo Ludere, sed & eiusmodi Ludis interesse prohibuerunt. Huius Ludi authorem alij Palamedem dicunt , veriùs tamen communi omnes patres consensu Dæmonem; Pindarus dum Elysios describit campos, Ludi calculorum meminit: & verò sceleratissima est disciplina , quâ quis quantò doctior , tantò nequior: vnde Antoninus Florentinus tot scelera nasci è Ludo aleæ putat , quot in taxillis puncta numerantur , inter quæ præter rixas, conuicia , blasphemias, cædes , inflammatus semper existit lucri ardor , qui nec suis parcat, nec alienis : quare si te ad Ludum vetitum inuitauerit quispiam , Xenophanem imitare , qui ab Hermonensi timidus appellatus , quòd tesseris Ludere renuisset,ingeniosè respondit , se timidum semper fuisse ad res inhonestas :

Conc. Can. 79.

2. par. tit. 1. c.23.

& certè quid turpiùs quàm vilissimæ se seruituti mancipare? largitur enim lusor ad præceptum taxillorum, quod non tribueret ad Dei mandatum.

Quid superest, nisi vt monita attexam in Ludo concesso obseruanda? quorum hoc primum esto. Non se adolescentes in Ludos effundant; plusquam temporis, quàm necesse sit, impendant, ab illâ enim Ludendi voluptate, cui se auidiùs applicuerint, quasi ab vberibus auelli vix possunt, quando conuertendus est animus ad studia, quæ contentionem animi requirunt, sicque continuatione illâ non tam animus reficitur ac laxatur, quàm soluitur & molliter elanguescit. Neque etiam paruum est incommodum, quòd eâ Ludendi consuetudine bonæ horæ malè collocantur, quarum iacturam olim deflebunt: verum est enim Senecæ dictum præsertim de adolescentibus (plerisque agitur vita per Ludum) nam, nisi adfuerit modus perit gratia decorque honestæ recreationis: sequantur iuuenes suum Aristotelem, qui Ludo vti licere consentit, sed

sicut somno, cùm grauibus serijsque rebus satisfecerimus; audiant D. Augustinũ, memento, inquit diuertisse te ad refectionem, non ad defectionem. At ego, inquies, frequentiore animi remissione egeo, quia ingenium sortitus sum illud, quod absque multâ intermissione consumitur & quasi flamma, quæ non erumpit, mœrore suffocatur: vnum hoc respondeo, plerosque adolescentes hac opinione delusos literarum studium abiecisse.

Alterum occurrit quod moneam, cauendum in Ludo, ne quod præter honestatem vocabulũ excidat, tunc enim natura exerit liberiùs, quod sibi innatum est: Nihil quoque admodum curet siue victor, siue victus discedas: nihil inde deprimaris, nihil insolescas, sed Eutrapeliam sectare, à D. Thomâ commendatam, quæ omnia in Ludo moderatur & continet: memento huius axiomatis (lusor Ludendo currit ad mortem suam) vtinam non ad æternam vbi Diabolus de lusoribus tanquam de fatuis seruis Ludum facit, eumque æternum. Audias

2.2. qu. 186. art. 2.

Ciceronem dicentem (cùm iuuenes
1. Offic. relaxare animos, & dare se iucundita-
ti volent, caueant intemperantiam,
Erasm. meminerint verecundiæ.) Fuge Cali-
li. 6. gulæ expemplum, qui in Ludo, men-
A- dacio potiùs & periurio dicitur, quàm
poph. industriâ lucratus.

Axioma VIII.

Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt. Eccles. 3.

MVlti liberi, parentum tortores sunt, vt cum Boëtio loquar; verèque dixit Euripides carentes liberis, ipso infortunio esse felices, cùm videlicet molestiâ careant, sæpè per liberos importandâ. Suspendium illis imprecatur Salomon propudio simul-
Pro. 30. que interitum; vt post mortem pascant coruos (oculo qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrenti-
bus:) In Deuteronomio lex præcipit
Deu. 2. saxis obrui filium proteruũ, contuma-

çem,

cem, atque in parentes impium, vt supplicium illud frænum esset iuuentuti, inuerecundè parentes illudenti. Tantæ seueritatis causam assignat Iosephus, iniuriam Deo illatam, qui & ipse humani generis parens sit, eandemque habeat cum parentibus appellationem. Et verò parentes Philo vocat (conspicuos Deos ἐμφανέας θεούς:) Hierocles appellat (secundos & terrestres quosdam Deos) vultque paternam domum esse templum, in quo patres sint instar numinis, quibus liberi, vt sacri ministri, summâ cum reuerentiâ deseruiant; vnde apud Paulum Iurisconsultum (filio semper honesta & sancta persona patris videri debet.) Neque id dico de adolescentidus tantùm, in quibus magna est iudicij mentisque imbecillitas; sed de omni ætate & ordine, imò miles indignus militiâ iudicandus est, qui in patrem aliquid admiserit: laudem autem tantam meruit à totâ Græciâ Antilochus, quod morti se propter parentem obiecisset, vt communi appellatione patris amans, φιλοπάτωρ nominare-

Li. 4. ca. 8.

Li. de Deo.

De Obse. à liber li. 9. & 10.

tur. Omnium prædicationem meruit Isaac, qui parenti etiam grauia imperanti, victimam se voluntariam libenter obtulit: at verò impia Absalonis, contra parentem rebellio, omnium execratione damnatur. Senatus Romanus filiam, quæ matrem in carcere furtim suo lacte aluerat, meritam censuit, vt suâ pietate matris vitam redimeret. Hic est fructus charitatis erga parentes, hæc inobedientiæ pœna. His addo, quam habet Bernardinus, historiam his ferme verbis. Nostrâ ætate, inquit, in Hispaniæ citerioris oppido, cui nomen Sui, non ita procul Valentiâ, adolescens per parentum inobedientiam eò deuenerat, vt anno octauo decimo propter latrocinia & publica facinora in vincula coniectus, ex suspendio damnatus vitam finierit; erat tum prorsus imberbis; pendenti verò atque exanimi, subitò prorupit barba, quæ inspectante populo, cum capillis cœpit canescere, vt ætatem referret hominis nonagenarij: ad spectaculi miraculum

In Concion. dom. 2. quadrag. ser. 17. a. 3. c. 1.

accitus cum Clero Episcopus, portenti causam à Deo precibus inquirit moxque diuinitus edoctus, ex editiore loco pronunciat, hoc monstro ostendi, quantum Deus de vita iis detrahat, qui parentibus obsequium denegant: victurum iuuenem fuisse ad eam ætatem, quæ apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset: abi iam, execrande iuuenis, parentes sperne, imò potiùs; honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in terrâ, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

Reuerentiam parentibus debemus, quæ non in solá capitis denudatione posita sit, sed in colloquijs, in concessu, in demissione contineatur: quod si senuerit, ea quæ secum senectus desert incommoda, patientissimè feret, (filij suscipe senectam patris tui, & si defecerit sensu veniam da, & ne spernas eum in virtute tuá.) id præstitit Ioseph, qui penitentem

ad se in Ægyptum patrem honorificè excepit, & senectutem eius officiosissimè fouit: præstitit & Salomon, qui matri ad se venienti assurgit, & eam in solio iuxta se honorificentissimè collocat.

Ita refert Valerius Maxim. Decium filium vrgebat Decius pater vt in solium ascenderet, reclamat ille & sceptrum his verbis refugit: vereor ne si fiam Imperator, dediscam esse filius: malo non esse Imperator, sed humilis filius, quàm Imperator & filius indeuotus: Imperet pater, meum erit parere imperanti.

Non eâ sunt pietate multi filij, qui ex infimâ stirpe ad sublimiorem gradum euecti originis & obliuiscuntur; & parentum suorum ignobilitatem, probrosam sibi & contumeliosam existimant; vt ex Godscalco filius quidam Carbonarij, quem pater adolescentem mirâ charitate educauit, *God-scal. conu. ord. S. Aug.* virum fortuna ad regni solium euexit, senem parentem filio de dignitate adeptâ gratuluturum, nouus Imperator vt ignotum despexit, cui parens, an me parentem tuum, ô fili, non agnos-

cis? reponit cum fastu ille, quomodo te agnoscam, qui me ipsum vix agnosco?

Non ita Vuiligisus Saxo, patre natus plaustri ductore, qui ingenij sui præstantiâ ad Moguntinæ sedis regimen ascendit; is primæ conditionis memor, ne in dignitate insolesceret in conclaui suo rotam depingi voluit, cum hac epigraphe (Vuigilise memineris quid sis, & quid fueris) hæc deinde rota in insigne Archiepiscopatus Moguntini, ab Henrico secundo Imperatore confirmata est. *Sub Otho. 3. anno 976. Ita Zieg. & Nau.*

Bonifacius quoque octauus Pontificatum summum adeptus, matrem mutatis vestibus ad se adeuntem, congressu, & familiaritate exclusit; eandem postmodum elegantiori cultu posito, ad proprias solitasque vestes restitutam peramantissimè excepit.

Alij etiam sunt patres, quàm qui nos genuerunt, quippe senes omnes appellat post Platonem Valerius Maximus, adolescentum communes patres, ideo pari colendos esse honore affirmat Phocylides Poëta, Isocrates, *Li. 2. ca. 1. num. 9.*

etiam maiori. Hebræi diuinitùs inſtructi, à quibus in reliquum orbem fluxit humanitas, ſancitâ lege iuuenes imperabant ſenioribus honorem deferre, eam potiſſimum ob cauſam (quod antiquiſſimus ſit Deus, & omnium ſeniorum princeps) cui quodammodo in deſpectis ſenibus detrahi honor videatur; animaduertunt Græci γῆρας (Senectutem) dici, quaſi γέρας (honorem) quod reuerentiam illa ætas mereatur; huius venerationis cauſa ſatis ex ſe ipsâ patet, ſenectus enim per ſe eſt venerabilis; ſi enim annoſam quercum veteres, vt rem diuinam donarijs vittis, votiuis tabellis onerabant & honorabant, qualis fuit Terebinthus, ſub qua Abrahamus reſedit magnâ veneratione vſque ad Theodoſij tempus honorata: ſi lucos vetuſtate ſacros coluerunt, ſi Gadium incolæ (Senectuti) altare ædificarunt; quis ſenioribus honores negabit, quos naturâ duce, monentibus Ethnicis, Deo imperante colendos ſcimus? alterâ etiam de cauſâ verendi pariter & reuerendi ſunt ſenes

Ioſeph li. 2. côtra Appion.

Hier. de loc. Heb.

(propter signum virtutis, quod est Senectus) vt monet D. Thomas, præferri nisi Senectus illa non canis, sed meritis albescat: signum autem est proteruæ & insolentis iuuentutis senes illudere, & quasi maleficũ aliquod animal auersari: audiant scholastici suum Ciceronem (est adolescentis maiores natu reuerèri) audiant Iuuenalem, iuuenem non assurrexisse seniori (grãde nefas & morte piandum) audiant iterum Romanum oratorem ineuntis ætatis inscitia, senum constituenda & regenda prudentiâ est: quis enim inficietur iuuenes & indoctos esse & leues, peritis laus ætate acquiritur, & sensim inualescit, quæ dum quodammodo cunctatur ac moras trahit, solet iuuentus esse ad audendum proiectior, nisi nimiam audaciam ac confidentiam, senum prudentia temperauerit, quæ causa fuit cur Homerus dixerit, ἀεὶ δὲ ἐοὶ ἀφραδέοντι, agere semper inconsultè iuniores, nisi Senectutis prudentiâ regantur.

Li. 1. Offi.

Iuuc. Sat. 13.

Axioma IX.

In omni angulo, Angelo tuo reuerentiam habe; Bernard. In Psal. 50.

FIngunt Poëtæ semper Telemacho Mineruam, Æneæ Achatem, Calliopem regibus, ad res magnas gerendas constituendasque adfuisse; absint figmenta poëtica, cœlestes illos genios constat in nostrâ salute asserendâ, quæ rerum maxima est suam nobis operam assiduè commodare,
62. certè Isaias docto Angelos penicillo depingit, tanquam sublimes in continuâ vigiliâ excubitores ad hominum salutem præsidiumque: & sanctus Hilarius negat imbecillitatem
In Mat. humanam spiritualibus cœlestium nequitijs pugnando esse parem, nisi naturæ potioris, hoc est Angelicæ, auxilio adiutam. Sed ô nos, ingratos dicam an vecordes, qui tam beneficos amatores nec dignâ beneuolentiâ, nec meritâ ad numinis obsequium imitatione prosequimur? quod si societatis

amici-

amicitiæque ineundæ principium est, eâdem vti domo, vt ait Aristoteles, ἐπὶ ὁμοστέγους, quantâ coniungi beneuolentiâ cum Angelis tutelaribus & domesticis debemus, qui domicilia nostra incolunt, nobiscum in mensâ assident, nobiscum pernoctãtur: Andr. Hierosolymitanus Angelos vocat φιλανθρώπους, hominum amantes; & D. Dionysius ἀγαθοειδεῖς, ex ipsâ velut bonitate formatos, id est summi boni imitatores, qui accepta à supereffluente bonorum omnium oceano bona, cum inferioribus liberalissimè communicant. Certè æquum est vt redamemus tam munificos præsides, qui suæ vbique beneficentiæ vestigia relinqunt, diuumque Dionysium imitemur, qui se non diuinum Theologiæ principem vocat; nec arcanorum cœlestium doctorem, sed amatorem Angelorum, φιλάγγελον.

And. serm. de salut Ang.

D. Dionys. ca. 3. de diui nom.

Illud certè omnem superat admirabilitatem, & nostrum prouocare amorem deberet, quòd cœlestes illi genij, omni donorum ratione præcellentes, quolibet gratiarum ornatu nobiles,

tuguria tamen nostra, & viles casas suo conspectu & præsentiâ non dedignantur, sed in luto propè dicam nostro volutantur, nostris sollicitè operibus intersunt, & quidem curâ tam solerti, tamque assiduâ vigilantiâ, vt parentum erga filios officium & charitatem superent. Quid porro amabilius, quàm formosissimos illos aulæ cœlestis proceres, diuinis in cœlo perfruentes honoribus, apud suum principem gratiosos, ad nos viles homines terræ & iræ filios, crudelitate belluas, væcordiâ pecudes, & quod peius est, in Deum impios, in ipsos tutelares ingratos, propensissimâ beneuolentiâ deuolare, suamque nobis operam & ad ductum, & ad auxilium præstare? Verùm cùm in omnes homines propensa sit Angelorum voluntas, tum in illos est officiosissima, qui salutem alienam procurantes in studijs simillimis, hoc est Angelicis elaborant, quique Angelicam innocentiam & puritatem amant. Aduertit Origenes in mundi primordijs frequentes fuisse

In Phil. 14.

Angelorum ad homines accessus, & institutas veluti peregrinationes, quòd tunc homines innocentis animi candorem, integritatemque retinerent: Et nunc filij illi Dei, & apud homines internuncij, nihil vehementius quàm puritatem amant, vnde Cyrill. Hierosol. Angelos vocat ἁγνείας ἐργάτας, castitatis operatores virginitatisque opifices, vt qui maximè à corporis contagione refugiant & auersentur. Denique post mortem Petrus Blesensis non alios ait ad Angelicæ ruinæ reparationem, sediumque beatorum occupationem admittendos, quàm virgines & castos: rationem subiungit, quòd alij tantâ non accedant ad Angelos affinitate, vt mirum non sit, si castos iam æternæ felicitati desponsos & destinatos vnicè adament. Certè quantùm indigeamus Angelis tutelaribus, indicant vitæ huius pericula, & hostium furores; nam vniuersa hæc vita, vt dixit honorius Papa, non tam militia, quàm malitia est; volitat

Cate. 12.

Ser. 28.

enit stygius prædo, cum delectâ suorum manu, & nostri sanguinis sitientissimus bacchatur, arma vndique strepitusque circumsonant; eleganter D. Nazianzenus vitam vocat νυκτομαχίαν, in nocte prælium, plenamque formidine contentionem, quòd in his tenebris præsentiri hostis & caueri non possit, & vt Iugurtha apud Romanum Historicum, cùm longius abesse putatur, tum Iugulo propiùs imminet: Est ei viuida mens od omne fraudis genus, vel excogitandum, vel patrandum acuta: gloriatur tot annorum vsu experientissimus, tot victorijs superbus, vt triumphos de fortissimis quibusque vix numeret suos. Nos igitur à bellicà disciplinâ imparati, quid contra hostem callidissimum possemus? quoties nec opinantes opprimeremur, nisi Angelorum præsidio consultissimus nobis Deus prouidisset? Pugnant igitur pro nobis cœlestes illi principes, qui vel in primo sui ortu, militari cingulo donati, Dæmonem cœlo stygiasque in manus deiecerunt, iam inde Dei milites

Orat. 10.

appellati à Prophetâ Nahum (fortes Dei.) Vnde eos constat militari sæpe habitu modò euaginatum tenentes gladium, vt Iosue; modò loricis armatos igneis, vt Diuo Ioanni sese exhibuisse.

Non habent quidem Angeli alatos Mercurij pedes, sed promptam expeditamque voluntatem, quâ cælum petant, & inde incredibili celeritate in terram reuolent; quod ministerium Cyrillus Alexand. appellat ἄνω καὶ κάτω διαδρομὴν, sursum ac deorsum discursum; vt scilicet preces nostras Deo offerant: gaudent enim, vt Beati Hilarij verbis vtar, desideria & postulationes ad æternum & inuisibilem Deum, ambitioso famulatu & ministerio peruehere, quasi nostras orationes terrenis graues perturbationibus suis ipsi manibus, vt vehiculis, ad solium diuinitatis attollant; Neque tantùm preces nostras efferunt & offerunt suoque fauore & apud Deum gratiâ comitantur, sed pro nobis assiduè vota sua effundunt, vt phiolæ aureæ suaueolentia odoramenta, quibus Dei

Preces Deo offerunt.

Car. 18. in Mat.

numen ad omnem misericordiam mitigetur: id nisi facerent iam è cœlo vindex fulmen reos mortales oppressisset, vel terræ hiatus viuos in tartara înuoluisset.

In his & similibus percensendis quis finis esset si singula persequi vellem dicendo: si nobis bene sit atque beatè, si summa pericula corporis, veluti exiguâ declinatione vitemus, si micantem Deus gladium recondat, id omne Angelorum beneficio & custodiæ debemus.

Angelli homines illuminant. Quid dicam quod cæcas hominum mentes, & in rerum diuinarum ignoratione cæcutientes illustrent atque illuminent; quô enim magis soli æterno, luminisque fonti finitimi sunt, eò plus hauriunt lucis, & diuinæ pulchritudinis imaginem, si fas dictu est, vniuersam excipiunt, cùm ex D. Dionysio specula sint nitidissima & incontaminata: & ex Gregor. Nazianzeno, secundi splendores, secundaria luminaria: Neque sterili micant fulgore, mentes enim humanas caligine circumfusas illustrant, proindeque

D. Chrysostomus vocat φωταγωγοὺς, lucis administros; quos si habeat comites & adiutores adolescens literarum studiosus, fabulosâ Mineruæ lucernâ facile carebit. Quot iuuenes præcipiti in scelus impetu ruentes, & cupiditatibus obcæcati, vt facem extulit Angelus, oculos aperuerunt, & errorem praui itineris agnouere? Cogita adolescentem, qui perfractis verecundiæ repagulis flagitium animo mediteur, ecce prodit obuiam Angelus, qui à D. Dionysio nominatur ἀνθρώπων διδάσκαλος, mortalium præceptor: quo ruis? inquit, quid moliris? tu pro exiguæ vsurâ voluptatis animam gratiâ & innocentiæ veste spoliabis, & corpus spiritus sancti sacrarium turpiter maculabis? eo lumine perfusæ adolescentum mentes, intuentur exitium funestamque calamitatem, nisi subitò resipiscant: tunc enimuerò oculum omnia peruadentem animaduertunt, & mucronem ad instar fulgoris micantem, quem

nullus hominum dolus aut virtus effugiat. Nos verò amantissimis patronis, si fieri potest, vicem rependamus, mutuoque officio prosequamur, quorum partes sic describit D. Bernardus, fidelis paranymphus discurrit medius inter dilectum, & dilectam, vota offerens, referens dona, excitat istam, placat illum. Meritò Cyrillus Alexandrinus eos vocat συλλήπτορας, καὶ ἐπαγώρους, auxiliatores, sospitatores vt pote qui hostium impetum retardant, tela ignea confringunt, agunt excubias, nunquam defuturi, nisi ipsi nobis deesse velimus: Quid ad amicitiam dici potest fortius, quàm demptis hosti viribus nouum nobis robur sufficere? iacentem animum diffidentem attollere? &, vt verba vsurpem Dauidica, (docere manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum?) Sed quæret aliquis vnde ergo tam turpiter victi superatique sæpè succumbamus, cùm tot victorijs inclyti milites nos adiuuent, ad quorum conspectu tenebriones illi laruæque deberent euanescere? verè dicam & breuiter, nos

Ser. 31. in Cat.

eam nobis cladem calamitatemque accersere, siquidem hostibus arma subministramus, eorum fouemus audaciam, & quod summum est, Dei iracundiam prouocamus.

Sanctus Chrysostomus cùm Susannam prædicat, ait, Agonotheta de cœlo luctam attendebat: & Angelorum turba prona spectabat; sed Angeli non tantùm spectatores, sed nostris prælijs adiutores intersunt. D. Dionysius Angelos equorum effigie pingi animaduertit, vt significetur promptus ad aliorum auxilium animus τὸ εὐπιθές. Nos itaque cultum illis & reuerentiam rependamus, cogitemus ad latus vbique versari amabilem illum testem, Angelum custodem, illiusque continuo aspectu, veluti naturæ imbecillis fræno vtamur: verùm vt similitudo, amoris mater est, effectrixque beneuolentiæ, sic Angelicam imitari puritatem stude, ô Parthenice adolescens, & Deo gratias age.

Paregyni in Susan.

De Ecclesiæ Hie.

φιλόπιτος μηνύτης.

AXOMA X.

Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Psal. 90.

QVærit rationem Pererius cur Angeli humanam potius formam, quàm aliam quamlibet induant, cùm spectabiles hominibus astare volunt: primam affert, vt significent diligi à se homines, & se cupere vicissim ab hominibus diligi; altera est, quòd gestiant, quocunque possunt modo eam induere naturam, quæ diuinæ copulata est. Vltima quod partes hominis & membra, Angelicas dotes referant: oculi, notitiam eorum & intelligẽtiã, perspicacitatẽque significãt: aures, nostras ab iis exaudiri preces: manus, ministratorios esse spiritus: pedes voluntatem significant ad obeunda promptissimè quælibet munia: cuius rei exemplum exstat luculentissimum. *Li. 1. hist. sone.* Dum primi D. Ignatij comites ter per Germaniam Venetias haberent in

Curionem hæreticum inciderunt, cum quo de rebus fideique mysterijs tanta fuit concertatio, vt Lainij efficacitate irretitus hæreticus exclamarit, includor vndique, & vbi verser ignoro, cui vnus è socijs, cur igitur, inquit, eam sectam sequeris, quam tutari nequis? quâ ille voce perstrictus, derepente furibundus fugit vincula & peius aliquid minitatus. Erat genus hominis tale vt non minacius dixisse putaretur, quàm esset re verâ facturus, vt ex ijs qui aderant intellectum est. Patres itaque ad precationem conuersi in omnem animos firmarunt exitum, vno illo duntaxat anxij, ne quid inter se dissidij esset ad pœnarum perpessionem. Verùm mane albente cœlo eximiæ vir grauitatis & modestiæ ad eos furentis parochi præuertit aduentum, erat is procero corpore aptà membrorum conformatione, annorum, vt ex ore poterat conijci plus minus triginta. Se patribus offert in ducem & verbo nutuque significat illinc ocius facesserent quos vltro sequutos, ne quo tenderent, sciscitantes, trāsuerso cæcoque

itinere post octo circiter milliaria in viam publicam & regiam deducit vbi impressa viatorum apparebant vestigia. Illicoque tenendam deinceps viam digito ostentans euolauit: sanctum fuisse Dei Angelum patres argumentati sunt ex eo, primùm quòd peramicus ille ductor non rogatus vltro eos deduxisset, deinde quod per viam nullis prætereũtium calcatam vestigijs & quod plus habet admirabilitatis, nullâ impeditam niue, tota licet hinc inde regio niuibus esset esspersa: tertiò quòd affirmaret vniusquisque se conceptam habuisse in eum fiduciam, quasi filij in parentem, denique quod ex eorum oculis tam subitò se subripuisset.

AXIOMA XI.

Beatus homo, qui semper est pauidus.
Prouerb. 28, 14.

INter impios Iouiniani errores, hic vnus fuit insignis, Christianos, qui baptisati essent, tentari nullatenus posse: hanc insanæ mentis delirationem dementiamque quotidiana confutat experientia: est enim hæc vita, vt puluis Olympicus, Circus Agonalis, & palæstra sanguine conspersa, vbi omnis ætas pugnat, nemo ferme sit inexpugnabilis, vt ait D. Chrysost. nemo ex deorum filijs, quos Pindarus ἀθρώτους appellat, id est inuulnerabiles; neque dæmon plebeias tantum animas; sed heroas & insignes ad prædam quærit, non curat improborum, quorum lapsus quotidianus est, ruinam; non excogitato eos apparatu elaboratoque artificio aggreditur, qui suâ sponte in malum præcipitant & ruunt, sed si quis multarum palmarum

laureatus miles obijciatur, hunc dolis omnique machinatione deijcere conatur, & in hoc specimen veteratoriæ suæ artis exhibere. Itaque nemo palmas numeret suas, cùm vix ipsa tuta sit victoria; nemo anteactæ vitæ præfidat: Hanc securitatem sancti patres damnant, vt calamitatis prænunciam. Audite S. Hieronymũ, Tranquillitas ista, tempestas est, licet cœlum rideat, spirent fauonij, time etiam in sereno tempestatem. Si D. Iobo credimus in hanc vitam omnes, vt in campum ingredimur, vbi strati prope innumeri bellatores, & in sanguine suo volutati, ad hoc tantùm spirant, halitumq; tenuem retinent, vt cladis suæ atrocitatem & hostium robur aperiant. Ex eodem Iobo piraterium est vita hominis super terram: scilicet archipiratâ dæmone, piratisq; satellibus vndequaq; cingimur; sine pugnâ nemo potest coronato nauigio in portum succedere, aut salutis anchoram iacere: hinc perfossæ plurimorum naues, spoliatæ aliorum merces, consequutaque naufragia, quorum etiam tabulas miserè fluitantes aspicimus, & tamen ventos nobis

Epi. 1.

Iob. 7.

secundos, securamque nauigationem pollicemur. Quot viri in eos se laqueos induunt, de quibus nemo suspicari antè potuisset? grandes illæ columnæ propter singularem constantiam olim marmoreæ, quasi luteæ, flatu libidinis subruuntur; Hercules ab Omphale; Samson, alter Hebræorum Hercules, à muliere concidit. Miseret me Dauidis & pudet, qui Deo charus, eburneo solio sublimis, hostium victor, diuino spiritu ad futurorum præsentionem afflatus, plurimis à Deo beneficijs oneratus potiùs quàm ornatus, ó fragilem naturam & nunquam securam sui! ex casto in adulterum euasit. Quid de Salomone dicam cui parem sapientiâ orbis non tulit? Neque enim Iouem Platonicū, vt Minoë in antro ficticio, sed sapientiam ipsam Deumq; doctorē habuit: hanc ingenij lucem extinxit concupiscentia, euulsit oculum paulò ante mirabili splendore collucentem, & sapientem, vt ita loquar, infatuauit. Nūc verò an Salomon ille æui sui miraculū ad inferos sempiternas libidinis pœnas depēdat, scrutator renū & cordis Deus

nouit, homines nesciunt. Nemo itaque sibi fidat, post tot virorum cladem: nam vbi ementita illa securitas mentem occupat; arma defluunt è manibus, & animi cautio remittitur: contrà non sine causâ dictum est, matrem timidi flere non solere: id nunquàm verius est, quàm in spiritus militiá; semper enim lateri hostis imminet, & Numidarum in morem, cùm euolasse putes longiùs, hæret in insidijs cautiùs, plagæ locum horamque designat, paulo pòst imparatum iugulaturus. Quin etiam dæmon fugam aliquando simulat, sed sicut ait Fulgentius, vt persequentem missis post tergum sagittis occidat. Salomon, cùm vellet à Deo impetrare continentiam, sapientiam postulauit, tum quòd continentem viuere magna quædam sapientia est, tum quia sapientia omnia circunspiciens, declinans omnia, tutam continentiam efficit. Rectè Tertullianus castitatis sectatores comparat cum funambulis, qui tenuissimum filum pendente vestigio terunt, & corporis motum magnâ cautione moderantur,

Sap. 8.

Ver de pud. c. 10.

pedem fallat. Verùm quò magis de viribus proprijs diffidimus, eò maius à Deo sperare auxilium debemus. Potentem quandam bello Deam veteres (Pelloniam) à pellendis hostibus nominarunt, quam in prælio sacris religionibus euocarent: nos Beatissimam Deiparam inuocemus ad pellendas hostium insidias, viresque conterendas potentissimam. Si robur intueri humanum attentiùs velim, ad Dæmonem perinde se habent homines atque ad Gigantem locustæ, quas elidere facile sit & pede proterere; sed si cœlesti nitamur præsidio, in leones euadimus, ignem euomentes ipsisque formidandos hostibus, quos vix antea audebamus in faciem intueri. Si Deo fidimus, quælibet tentatio non virtutis erit sepulchrum, sed campus meritorum, vbi palmas & triumphos, non ignominiã aut cupressus metemus. Anima, quæ diuinæ fidit gratiæ, ciuitas munita appellatur ab Isaiâ, meliùs fortasse, Nicopolis, quæ nec dolo nec viribus capiatur. Si verò spem nostrâ in manu posuerimus, experiemur concupiscen-

tiam, quasi lernæam quandam belluam quinquaginta capitum, quæ nec ferro nec igni cesserit; aut nouam Scyllam canibus cinctam; aut Cerberum non faucibus inferorum, sed toti mũdo incubantem: quo telò contra monstrum illud manum armabis? quâ te ratione tueberis? talis est concupiscentiæ pugna, vt in eâ nihil compositum sit, nihil lege aut consuetudine belli moderatum, sed nunc cæco impetu ruat, nunc, vt furia, tædam iactet, nunc vt
De Mænas sude armetur, iuxta Tertullia-
fuga num, qui pro stimulo carnis vertit (su-
in dem carnis) denique pugnat tumul-
pers. tuariè concupiscentia, more rustico-
ca. 2. rum, quibus quidquid in manum venit, telum est. Sed quod peius est rebus nostris indormiscimus: dormienti autem in ripâ videndum est ne cadat. Initium calamitatis securitas, nemo celeriùs opprimìtur, quàm qui nihil timet; Baiazet Turcarum Imperator, qui propter iacturam vnius auis duo millia aucupum neci dederat, à Tamberlano captus est, dum in fugâ securitatem crederet.

Heruli, vt refert Paulus Varnefridus, cum Longobardis in patenti planicie omni virium contentione decertabant; dum interea Rex Herulorum sui securus; eo ipso tempore in edito colle, vnde prospectus in aciem erat, ad tabulam luderet, lauros sibi & hostium spolia certò pollicitus. Dum ludit, illudit fortuna; dum lucratur iactum, perdit cum vitâ imperium. Militia est hominis vita, in quâ nemo periculosiùs & certiùs vincitur, quàm qui priùs à securitate victus est. Hostes nostri plus præsidij & spei in deceptrice hominum securitate, quam in telis igneis collocant: quàm rectè Æmilius probus (nihil in bello oportere contemni.) Timeamus igitur, & tamen hoc vnum timeamus, ne quid vehementiùs, quàm Deum timeamus. *De gest.° Longob. li. I. c. 16.* *In vita Thrasyb.*

Olim in curiâ Regis Portugalliæ bellè iocatus est Melchior Canus, patres societat. IESV herbam quandam secum solitos circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis, eoque velut antidoto tutos saluâ integritate posse inter fœminarum versari greges;

ea vox sensim sparsa per curiã ad Principis peruenit aures, qui rei auditæ curiosus inuestigator, Ioannẽ de Zuniga ad Patrem Araozium misit sciscitatũ, quod herbæ genus illud esset tantæ potestatis ac virium, quam perhiberetur habere; hæsit paulisper ad interrogationem Araozius; tum nostra, inquit, herba tantarum est virium, vt non modò nobis ad frangendas cupiditates sit vsui, verùm etiam tutum adcoërcendam linguam, & conterendam animi elationem præsidium: acuerunt hæc cupiditatem Ioannis, qui vt sine morâ sibi nomen ederat tam salutaris herbæ, nec se diutius properantem ad principem cunctaretur, ac suspensum haberet, acrius institit, cui Araozius hæc, inquit, herba communi sermone TIMOR DEI nuncupatus; ea mox responsio patris per omnem peruagata curiam secundissimis excepta est auribus. Hanc tibi herbam, vt singularem medicinam porrigo, nam timor Domini expellit peccatum.

Axioma XII.

Qui pœnitenti veniam promisit, peccanti diem crastinum non spopondit.

August. in Psal. 89.

Meritò exclamat Bellarminus, væ cæcitati hominum, quæ vitam vnius diei, quæ pro nihilo duci deberet, sic amant, ac si esset æterna: qui veram & sempiternam sic contemnunt, ac si esset vnius diei, & pro nihilo habenda. Ad vitæ huius incertitudinem explicandam, pingit B. Iob *Iob.*
campum vberem & floribus vernātem, *9. 26*
in eoque lepusculum arrectis auriculis pedibusque ludentem & sui veluti securum, tum aquilam composito alarum motu in terram ferri, prædamque intercipere prius quàm vmbram aduerterit; sic in ludentes homines nihilque minus cogitantes mors tacitè inuolat & prædam abripit. Aderit incertum quando, fors die crastinâ, aderit, inquam, illa dies, quâ te in lecto iacentem videbis, cereoque in manu ac-

censo mortis telum expectantem, nisi fortè prius illa te suffocet, quàm de eâ liceat cogitare: Aderit dierum tuorum meta, vt dies Domini illucescat, cuius si clementiam spectes; in mentem veniet, quoties eâ sis abusus; si iustitiam, trepidabis memor quoties eam prouocaueris. Eheu! quo pretio diem vnum; quid dico, diem? Horam vnam, aut etiam aliquid horâ breuius, illius temporis redimeres, quod tam otiosè contriuisti; nec illud valebis impetrare. Quàm multi ex hac vitâ subducuntur nec opinantes, prius, quàm de morte cogitarint; ne dum numen, sibi conciliarint. Verùm spatium tibi ad mortis cogitationem & Dei propitiationem concedamus, at illud quàm multi inconsultè elabi sinunt: sapiam, inquies, & in re tanti momenti consultior ero, quàm illi. Credere facile non ausim, etsi quàm maximè optarim; tu enim an in morte aliјs de insipientiâ concedes, qui in vitâ aliorum infamiam adæquas, vel etiã superas? quo ex fonte tanta tibi prudentia? vt cùm totâ vitâ desipueris, in

morte sapias, & extremum vitæ actum sapientiùs, quàm alij concludas? an à Deo hanc gratiam expectas? ô præposteram confidentiam! Deus tuâ causâ decretum istud rescindat suum (mors peccatorum pessima.) An ab Angelo præside? at illi, quot quot perijsse constat, præsides habebant Angelos in suorum custodiam vigilantissimos. At ante mortem in Senectute pœnitentiam agam; in tuâ fortè manu est, cùm volueris, pœnitere, & non magis donum Dei? quodnam tuum meritum ad tantam gratiam? Deo iam clamanti non respondes, ille te clamantem aliquãdo non audiet; si iam à peccato cognito & perspecto non refugis; quid præstabis cùm densiores erunt à peccatis tenebræ, cùm indurueris in prauâ consuetudine? vtere tempore dum tempus est; quod sequitur tempus, nondum est, & cùm erit, tuum forte non erit: sed esto det intellectum vexatio, & pœnitentiæ voluntatem inijcias mortis imminentis metus, nunquam enim sera est pœnitentia si seria: at in acutissimis

doloribus, quam tu pœnitudinem exercebis? quos patientiæ actus, qui dum dente aut extremis articulis laboras, ſuperos inferoſque inſanus deierando laceſſis? quomodo conſcientiam diſcuti, quod eſt laborioſi operis, mens propè ſenſibus deſtituta, & obeundis vitæ conſuetæ muniĳs impar inter familiæ luctum, amicorum lamenta, dæmonis fraudes, medicorum præceptiones, meliora ſperare iubentium, & Sacerdotem in conſpectum venire prohibentium? Quot animarum procraſtinantium greges exitialis hæc ſalutis incuria abripuit, quæ inuitationis diuinæ maturitatem olim reſpuerunt? quot etiamnum Antiochos habemus, qui cùm in ſuâ pœnitentiâ plus neceſſitatis, quàm voluntariæ emendationis oſtendant, minorem quoque ſpei cauſam habent quàm timoris. Conſtantius Imperator Romam ingreſſus, cùm vrbis magnificentiam delubra, amphitheatra, thermas, arcus triumphalis, ſtadia, aliaque decora conſpexiſſet, Hormiſdam Perſam nobilem, quid de Româ

sentiret, rogauit; cui ille respondit, id tantùm sibi placuisse, quòd didicisset ibi quoque homines mori. Certè omni loco morimur, nescimus quá nos parte sit mors aggressura, an in lecto; an extra; an domi, an ruri; an sedentes, an ambulantes; in mensâ vel in templo. Amnon dum in germani Absalonis mensâ temulentus sedet, temulentiæ suæ pœnas æternas luit, nunquam guttulâ sitim fortè æternam leuaturus. Iezabel, dum purpurisso oculos faciemque pingit, per quas prospiciebat fenestras, miserè deijcitur. Absalon cœlum inter & terram medius è quercu pependit, non tam suis capillis quàm mortis laqueis irretitus. Abner & Amasia dum osculum sibi, in mortis complexum ruunt, & fatum salutant. Marcellum pontificem in stabulo inter pecudes agentem, quæ in equo nigro sedet, mors abstulit: Casimirus secundus Rex Poloniæ de cœlitum beatitudine in conuiuio loquutus, ad cœlitum beatitudinem subitò euolauit: Cæsar Prætor è lectulo hilariter surgebat, & dum calceum induit, mor-

talitatem hanc exuit: Alexander Imperator naribus sanguinem, & cum sanguine animam misit.

Nescis quo tempore ad diuinum iudicium sis euocandus, an mane, an serò, an nocte, an die: Si scires te horâ diei alicuius primâ moriturum, omnes diei cuiusslibet primas horas pertimesceres. Bebius Pamphylius horam diei sciscitatus, ante responsum, horam vitæ supremam clausit; Conradus secundus Imperator ipso Pentecostes solemni die, antequam se ægrum sciret, iam mortuus iudicium subijt: Marcus Iuuentius, & Aulus Pompeius, dum sacrificant; Petrus Calceonus, dum ei barba raditur; Æmilius Lepidus, dum domo egreditur, inopinato casu occumbunt. Sisara & Isbosethus Saülis filius dum suauiter meridiãtur, ad iustitiæ solem euocantur: Alaricus Visigothorum Rex, vitato feliciter in mari naufragio, Siciliam ingreditur, & extra fluctus omnes in continente naufragium vitæ patitur, & ad æternitatis portum appellit: ficus frigi-

diores auidiùs manducat Cardinalis Columna, ſed nihil poſtea eſurus: Æſchili calui caput aquila ſaxum rata, ad illud teſtudinem elidit, & perimit; oculatâ aquilâ mors fuit oculatior. Nauta quidam cymbâ, pedi alligatâ, ſomno ſe permiſit, ſed propriâ cymbâ, ſine Charontis obolo ad elyſios campos vectus eſt. Fœniſecam prata demetentem ſerpens morſu interimit, mors ipſos meſſores falce metit. Agricola terræ mandat ſemina, ſed fruges non metet; mare conſcendit nauta, ſed portum non attingit; itineri ſe tradit mercator, à morte, quaſi latrone expoliandus.

Incertum quoque eſt mortis genus, neſcimus an morbo diuturniore, an vi ſubitâ ſimus interituri; an gladio, an tormento bellico; igne, vel aquis; tegulæ illapſu, an ſcalarum præcipitatione. Rex Hiſpaniæ Theofredus in ſuo conclaui à ſtulto coriaceâ clauâ peremptus eſt: Manum ad placentam extendebat Torquatus,

& in Torquatum mors manum extendit: Crassus orator, dum orationem habet ad populum, eodem momento causam suam apud supremum iudicem perorauit: Fabius Senator pilum tenuem cum lacte sorbsit, & dulce, sed repentinum exitium hibit: Aristidem mustella: Balbum Catellus mordet, & perimit. Anacreon & Sophocles cum vuæ acino, Appius Saufeius, cum ouo mortem degluriunt. Batilla Mirandulanus ex singulari certamine victor, fugato hoste, corruit mortuus, sine vllo vulneris vestigio; sic spolia victoriæ morti reliquit. Philæmon nimium risum, quem cohibere non potuit, in fatales lacrymas conuertit: verùm etsi ex gaudio quis animam exhalet, vt Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur, vel ex laude & commendatione vt Clidemus Atheniensis, dum ab Histrionibus ob præstantiam coronatur; etsi per somnium vt Plato; hæc tamen mors multò violentior est, quæ per commoda animam expellit; tum enim animam cogit è vitâ migrare, cùm vitæ voluptatem

tatem maximè experitur, vt præclarè disputat Tertullianus.

Quot miriades hominum his viginti militiæ annis tormento bellico quasi tubâ ad iudicium vocati sunt? Et extra belli aleam, quot singulis diebus dormiunt nunquam euigilaturi? quot aqua, quot ignis, quot domorum ruina, quot fulmen ad Christi tribunal transmittunt? vita minimis causis præter omnium expectationem multis abripitur & abrumpitur. Pestilentior aura, tegulæ lapsus, herba venenata, neglectum vulnusculum, imò & ipsa vitæ subsidia, cibus, risus, lætitia, aquæ gutta è viuis amoliuntur; & eo, quo minime putamus ordine, sanis enim sæpè infirmi, & liberis parentes iusta persoluunt. Hac potissimum cogitatione indigent iuuenes, qui ob robustam valetudiuem, ob spiritus magnos è familiæ nobilitate haustos, ob vitæ commoda, vix sibi in animum inducere possunt fore, vt aliquando moriantur: vtinam in editissimo orbis totius monte collocatus, cum Seraphinorum oculis, singula mortis ge-

nera quæ hoc momento subeunt homines, possem intueri; mortem cernerem cum ferreo sceptro regnare, huc & illuc semper volare, nisi quòd in bellis, in vrbibus peste infectis diutiùs moretur. Cernerem iudicem in tribunali occisum, Regem in throno, doctorem in musæo, concionatorem in cathedrâ maritum in lecto, in gremio matris filium: Quin imò dum succedunt bellè omnia, dum ad felicitatis portum blandientibus Zephyris sereno cœlo propiùs appellere videntur, tum enimuerô, vt ludentibus in salo Delphinis timenda tempestas & naufragium. Rectè monet Hieronymus, non est dignus dici Christianus, qui in eo statu vult viuere, in quo nollet mori.

AXIOMA XIII.

Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Chrysost.

ÆTernitas ipsos silices, ac calybem emollit, omni duritie fortior, quid ni lapidea pectora ferreamque peruicaciam expugnet? stupidus sis, lapideique plusquam ingenij, nisi te ad meliora pertrahat æternitas; eat, pereat, quem veterno sopitum hoc tonitru non excitat.

Æternitatem mecum metire, quid illa tandē est? est vnum hodie, sed sempiternum, quod non à præterito emanauit, quod non in futurum transit. Quid est æternitas? est labyrinthus innumeris flexibus inuolut⁹, qui hospites suos perpetuò circumagit, circunducit & tandem perdit. Quid est æternitas? est principium sine fine, finis sine principio, in quo beati beatam, damnati infelicem vitam semper auspicantur, nunquā claudunt. Quid est æternitas? est lucta cum morte perpetua, cuius vt nulla est victoria, sic nullus casus.

Quid est æternitas ? quantum est æternum ? cogita centum millia annorum ; nihil cogitasti ad æternitatem : cogita decies centena millia sæculorum ; integra superest æternitas: cogita millies millies & centies millies millena millia annorum , de æternitate nihil decerptum est: pone chartam vel membranam , quæ longitudine conuexam cœli partem æquet , & veluti Zodiacus circumeat ; ea verò nouenarijs numeris arctè sibi iunctis tota perscribatur , quantus exurget numerus ? quis Arithmeticorum calculus eum exprimet ? sed vlteriùs extenditur æternitas.

Etsi igitur tempus varijs subindè de rerum cognitione difficultatibus lucem afferat , antiquissimam tamen, sibique vt opinor coæuam de æternitatis naturâ quæstionem insolutam hactenus reliquit,quod ita fortasse factum est, quia tempori in propriâ causâ non creditur, vel quia tam volubile est tamque varium , vt in stabiliendis firmiter sententijs pondus non habeat & momentum. Quid igitur æternitas?

immensitas quædam, in cuius sinum omne æuum, horis & diebus fluctuans, quasi flumen in oceanum delabitur: verùm si tota stat simul æternitas, quomodo partes æui fugitiuas, quæ nec cursum reuocant nec supprimunt, in se recipit & admittit? quomodo æternitas in se indefectibilis, tempus complectitur, quod ideò tantum dicitur esse, quia tendit ad non esse? ô quàm distat à tempore æternitas! æternitas vel nunquam incipit vel semper incipit: æternitas nec deficit decrementis, nec incrementis augescit: tempus verò ita perpetuò fluit, vt si continuè existat, continuè debeat augeri, & nisi crescat, corrumpatur. Superat igitur tam præterita quàm futura tempora, nec præterita nec futura æternitas: siue enim Olympiadas adijcias, siue Platonicos annos, siue tardum firmamenti motum, numerari nusquam vllâ ex parte poterit; ibi Mathematicorum calculus exhauritur, sed solus ille, cuius anni, dies vnus, crastinum nesciens nec hesternum, omnia tempora numerat & superat, non

tempore., sed celsitudine semper præsentis æternitatis.

Fateor quidem sempiternā nostram animā, æternitatis & temporis lineam horizontem fuisse appellatam, quia tamē principiū agnoscere debuit,& alieno deinceps beneficio in æternū cōseruatur, mancā quodāmodo & precariam æternitatē habet & quocumq; extiterit tēpore, in arctissimū sēper eius duratiōis spatiū cōtrahetur. Æterna illa vrbs quā Augustus è luteâ se fecisse marmoreā gloriabatur, è marmoreâ in luteā recidit: stupēda illa opera, quæ septem erant orbis miracula, totidē vēto extiterūt tēporiq; ludibria: en præclara videlicet æternitatis domicilia! Homines tamē ita viuūt, ac si sēper essēt victuri, homines, inquam, qui præsentiū tædio, laborāt futuri desiderio; qui noctē perdunt expectatione diei, diemq; mortis metu, qui denique annorū accessionem votis mendicāt: labūtur omnia, omnia effluunt neque magis morā patiuntur, quàm sydera, quorū irrequieta agitatio nunquā in eodem vestigio manet. Athenas, mortalia sunt opera mortalium, Babylonē, Carthaginē, Romam

fuisse credimus, vix extat earũ vestigiũ, quod oculis fidẽ faciat. Ioannes Godefridus Herbipoliẽsis Episcopus in omni ædiũ suarũ conclaui, caluas, & mortuorum ossa tum picta, tum sculpta disponi curauerat, aiebatque (omni momẽto ad hostiũ æternitatis sto.) vbi est aureẽ Neronis palatiũ? vbi Diocletiani Thermæ? vbi Antoniana balnea? vbi Seueri septizoniũ? vbi Collisæum Iulij? vbi Amphitheatrũ Pompeij? vbi veteres Monarchiæ & principatus? sceptrum è Chaldeâ & Syriâ, in Persiam: è Persiâ, in Mediam: è Mediâ, in Græciam: è Græciâ, in Italiam migrauit: regnũ quære, cuius regni nõ erit finis. Occurrat igitur sæpe inter delicias æternitatis memoria: si quid arriserit, si quid blanditũ fuerit, quid illud tandẽ ad æternitatem beatam? quid gutta, ad torrentem voluptatis? quid iuuat lambere & lingere delicias, quas hîc pleno gutture potare non licet? eò aspirandum est & suspirandum, vbi copiosè est, quidquid deliciarum vspiam esse potest. Contra si quid cruciet aut vexet, malorum æternitatem cogita:

quid ille dentium, aut calculi dolor, qui te pœnè in rabiem agit, ad æternitatem damnatorum? putas te hîc vri & torqueri; falleris, verè non torqueris, non vreris; ludus est quidquid pateris, quidquid horres, vmbra est, & merissima fabula; quæcumque toleras supplicia, inania & picta videri possunt.

Fortasse te vexant insomnis noctis longa tædia, quietemque aufert lectus durissimus? at quot horas? nonne illæ postea sarciri poterunt longiori somno? quomodo igitur non asseri, sed candentibus carbonibus æternùm indormire poteris? quodcumque in latus te vertes, subiacebit ignis, flamma substernetur, nec vnius horæ vigilia altiori somno sarciri poterit. Si nox vnica, fodicante dentium vel calculi dolore, hebdomadis aut mensis instar est, quid pœna æterna? quid cruciatus perpetuus?

Hîc te sitis cruciat? fames vexat? damnati nec micam fami, nec guttam siti inueniunt, & æternùm: famam lacerant, tui obtrectatores, bonis te spo-

liant

liant, auari prædones ? quid illud ad Dæmonum in te rabiem, qui cœlesti te regno spoliant, quorum tamen aspectus, faciesque execranda tibi toleranda est, & æternùm ? quicumque dolor fine clauditur, leuis est, & ad æternitatem nullus. Contra verò interesse conuiuio opiparè instructo suaue est, sed non æternum: voluptatibus sese permittere iucundum est, sed non æternum: amplissimas fortunas possidere vtile est, sed instabile; honore affici gloriosum est, sed breue, at verò Deo in cœlis perfrui æternum est, diuino in inferis obtutu priuari, æternum est; pro breui & fugitiuo voluptatis momento horrendum sibi supplicium accersere, æternum est. Quod vt commòdius capias, finge stirpes omnes & herbas, quæ è terrâ extiterunt; omnes characteres, qui scripti vspiam sunt vel excusi; omnes plumas quibus post orbem conditum aues indutæ sunt; omnia frugum grana, quæ ex tellure nata sunt; totam quantacumque est in oceano, arenulam; omnes animantiũ pilos; fruges, inquam, in

vnum omnia cumulum coijsse, tum verò post singulas annorum myriadas, vnum aliquod de tanto numero subtrahi: profectò quamuis infinitus propemodum voluendus videretur seculorum numerus, finem tamen & exitum reperiret: sed in pœnarum æternitate, post tot annorum decadas, quot aceruus ille constaret, nihil egisti: tantundem pœnarum restat tolerandum, quantùm initio: quia in æternitate pœnarum diuturnitas non decrescit; idem aceruus superest semper, imò nunquam exhauriendus, æternitatis mensura est semper, & quod damnatorum pœna non leuis est, perennem illam dolorum æternitatem in oculis perpetuò habent, nec momentum temporis ab illa cogitatione vacant: si quam Deus ab illis cruciatibus animam eripuisset, vt anteactæ vitæ labes elueret, quid non præstaret illa? quod pœnitudinis genus non excogitaret? tibi verò toties idem vel simile beneficum à Deo concessum est, quoties post lethale peccatum iram suam cohibuit, pœnitentiæ locum dedit, nec te inferni

rem supplicijs æternis addixit.

Lege & intellige, adolescens Christiane quæ & quanta sit peccati grauitas. Nonne horrendum, & plusquam dici queat detestãdum illud esse oportet, quòd cùm animam semel coinquinarit, diuinum ita odium excitat, vt licet pater misericordissimus, cuius natura bonitas, tamen miserationis suæ aures perpetuis damnatorum eiulantium lacrymis occludat; licet non illi felicitatem postulent, aut pœnas ad aliquod tempus remitti, sed minimum leuamen aquæ frigidæ guttulam indulgeri? numquâmne pater misericordiarum & Deus totius consolationis exorari te sines? scilicet è cœlo spectat immotus, imò in damnatorum calamitate triumphans, quorum tamen animas pretioso filij sui sanguine redemptas nouit. Hinc intellige peccati grauitatem, si quæ mater sapientiæ laude insignis, filiã serpẽtũ morsibus appetitam, non modò siccis oculis intueretur sed ad illius aspectũspectaculi gestiret & lapidibus oneraret: si exploratæ esset probitatis matrona, nõne indicaret

grande aliquod & immane facinus à ferâ esse perpetratum. Cogita D. Petrum in cruce, D. Laurentium in ardenti cratere, D. Vincentium in boue æneo. Si quos amat, ita seuerè habet Deus, quos odit quomodo cruciabit? si hoc cum amicis pacis tempore; quid cum hostibus, iustitiæ vindictæque tempestate? Phalaridis Taurus Æneus, quo qui includebatur, bouis instar mugiebat, horrendus tibi videtur infernus; sed ô infernum breuem & mitem! quid enim illud est ad ignem æternnm? ô æternitas, æternitas, æternitas!

Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat, metire momentum, nullam potes regulæ mensuram adhibere; expende æternum, nulla satis est mensura, vt metiaris; in momento, finis cohæret principio, vtraque meta in punctum coalescit: sic voluptas prius amissa, quàm admissa euolat, simul in ortu est, & in occasu, fulguris instar: non ita supplicium ipsi Deo coæuum: ô momentum! ô æternitatem!

FINIS.

TABVLA CAPITVM.

Aa iiij

Finis Tabulæ.

Facultas R. P. Prouincialis Societat. IESV.

EGO Ioannes Fillæus Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis, Henrico III. 10. Maij anno 1583. Henrico IV. 20. Decembris anno 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij, anno 1611. concessum, quo bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus Societatis nostræ compositos, absque superiorum eius permissione, Imprimant, permitto Ioanni le Boullenger Rothomagensi Bibliopolæ vt librum qui inscribitur, *Adolescentia sancta, siue ratio adolescentiæ ad Dei cultum instituendæ, auctore vno sacerdote eiusdem Societatis*, Ad tres proximos annos Imprimere ac liberè diuendere possit. Datum Parisijs die 8. Ianuarij anni 1645.

IOANNES FILLAEVS.